

www.e-rara.ch

**Theophylacti Bvlgarorum Archiepiscopi, In quatuor Evangelistas, in D.
Pauli Epistolas, in minores aliquot Prophetas, doctiss. Enarrationes**

Montanus, Philippus

Basileæ, Anno Christi M. D. LXX.

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-149539>

[In Epistolas Ad Ephesos Enarratio]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

quicumq; hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia, & super Israel Dei.] Ne iactes mihi circumcisionem, quæ nihil potest, quæq; inutilis est sicut & præputiû. Christus enim omnia nouauit, aliamq; à nobis uitam postulat. Noua enim creatura, est uita secundum Christum: propterea quod & nûc animæ nostræ inueteratæ peccato, renouatæ sunt per baptisma, quodq; in futuro æuo incorruptibilitate & gloria honorabimur, corporibus innouatis incorruptilibusq; redditis. Quotquot igitur perseuerant in regula hac nouæ secundû Christum uite, fugientes antiquatâ & potestate destitutam circumcisiõnẽ, pacem erga Deum consequentur liberati à peccatis, quæ Deum nobis inensum, hostemq; faciunt: humanitateq; & clementia dignabuntur, non porrò ceu hostes Dei odio expositi, sed misericordia donati, ceu pace illis facta per crucem & gratiam. Tales etiam sunt Israel propriè, tanquã uidentes Deum. Quare qui huiusmodi nõ sunt, etiamsi genere Israelitæ fuerint, falsò Israelitæ dicuntur. Hoc autem à Dauide desumpsit Paulus, dicente: Pax super Israel.

Gen. 32.

Psal. 124.

2. Tim. 4.

DECACTERO' nemo mihi molestus sit.] Non tanquã desidia labore, uel deficiat, hæc dicit (quomodo enim is ad socordiam relabatur, qui commonefaciens, Instat, inquit, opportunè, importunè?) cæterum uolens leges ab se sanctitas immobiles esse, neue aliud quiddam ab eo sperent, sed consummatam certitudinem accipiant, quod sic prædicent.

EGO enim stigmata Dñi nostri Iesu Christi in corpore meo porto.] Apologiã habeo aduersus eos qui dicunt me esse hypocritã, & quod alibi circumcisiõnẽ prædicẽ, stigmata nimirû & pericula quæ pro Christo subeo. Hæc enim omni uoce splendidius testantur, quod nõ legis nomine, sed pro Christi dogmate & Euãgelio eius periculis obiectus & immersus fuerim. Nõ dixit aut habeo, sed porto, tanquã trophæum & uexillû quoddam regium, atq; in illis glorior.

GRATIA Domini nostri Iesu Christi cum spiritu uestro, fratres. Amen.] Per hoc quod eis gratiam imprecatur, indicat quod non ira uel odio dixerit quæ dixerit. Non solûm autem uotum & exoptatio est, uerûm etiam institutio confirmans & obfirmans ueluti sigillo cõmemorata omnia. Eos enim commonefacit gratiã quam receperunt, non per legem, sed quia Christo crediderunt. Nec dixit uobiscum, sed cum spiritu uestro: à carnalibus nimirum abducens, & monstrans quod non ex lege, sed à gratia spiritum acceperint: & quod nõ lex, neq; circumcisiõ, sed gratia possit ipsis spiritum conseruare, quemadmodum & dedit. Præterea cum fratres appellat, ad memoriam reuocat baptisma, ex quo fratres efficimur qui unius patris Dei scilicet filij sumus, & non ex lege. Sit autem nobiscum etiam gratia Dei, ita ut secundum spiritû uiuamus, nec diuinam paraclæti sanctificationem reiiciamus per peccatorû limum & sordes, cæterum nunquam non eam sanctificationem maiorem nobis conciliemus in Christo Iesu Domino nostro, qui nouam uitam & spiritualem, ueteris adeoq; corporalis interitu, subindicauit nobis, cui gloria in secula. Amen.

Ad Galatas scripta est à Roma.

AD EPHESIOS EPISTOLAE PAULI
per Theophylactum Bulgariæ Archiepiscopum Enarratio.

ARGUMENTVM.

Ephesus. **E**phesus, Asia est metropolis. Colebat autem Dianam, cuius templum erat in ipsa & pulcherrimum & maximum, quod omnibus Græcis in summa ueneratione erat, potissimum uerò ab ipsa Epheso colebatur, ut adeo cultrix Diane ea diceretur, perinde ut in Act. 19. Actis memoria proditum est. Ephesi euangelista Ioannes diu etiam multumq; demoratus est, ablegatus eò, ubi & mortem oppetijt. Quinetiam Timotheum diuus Paulus illic reliquit doctorem. Clarissimi porrò philosophorum in hac urbe uixerunt. Quia igitur superstitiosa adeo erat ciuitas, ac sapientibus uiris pollebat, magna diligentia Apostolus usus est ad hos scribẽs, profundioresq; sententias & altiores eis credidit, ut qui iam in fide Christi instituti essent. Scribit autem præclaris sententijs refertam epistolam à Roma, uinctus. Opus est igitur & nobis multa attentione, ut intelligamus que sunt in hac mysteria.

CAPVT I.

Arian. **P**AULVS Apostolus Iesu Christi, per uoluntatem Dei.] Ecce præpositionem (per) patri dedit, quod obserua propter Arianos. SANCTIS qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu.] Animaduerte quanta uirtus tum resplenduerit, adeo ut sanctos & fideles appellet uiros mundi negotijs deditos, uxores habentes & liberos. At hodie ne in montibus quidem & spelæis tales reperiuntur.

GRATIA uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.] Cum dixisset gratiã, infert Dei patris nostri, ut ostendat quid effecerit nobis gratia, nimirum ut Dominum Deum patrem nostrû faceret. Ad hæc Dominus, hoc est, filius, sua erga nos gratia & Iesus & Christus factus

A factus est, propter nos incarnatus, ac Iesus uocatus, qui & humanitatem diuinitate unxit.

BENEDICTVS Deus & pater Domini nostri Iesu Christi.] En Deus & pater eiusdem & unius Christi: Deus quidem ut incarnati, pater uerò ut Dei uerbi.

QVI benedixit nos in omni benedictione spirituali.] Ut opponat Iudaicæ, spirituali dixit. Nam illa corporalior erat, Benedicat Deus sobolem uentris tui, & benedicat ingressum & exitum tuum. Hic autem omnis benedictio spiritualis est, & nihil nobis deest. nam facti sumus immortales, & filij Dei, & cohæredes Christi, ac primitiæ nostræ à supernis uirtutibus adoratur. Merito igitur dixit, In omni benedictione: omnia nobis donata sunt, cum diuina, tum spiritualia.

IN cælestibus.] Interpretatur propemodum quomodo sit spiritualis benedictio nostra, in cælestibus, inquit. Siquidem Iudæorum benedictio erat in terra, unde & corporalis. Bona enim terræ, inquit, comedetis: terramq; lacte & melle fluentem: Ac benedicet Dominus terræ tuæ. Hic autem nihil terrestre, sed cælestia omnia, propterea & spiritualis benedictio nostra. Regnum enim cælorum pauperibus annunciatum est, & persecutionem Christi nomine passos merces in cælis multa expectat.

IN Christo Iesu.] Hoc est, per Iesum Christum nobis benedictio cõtingit, nõ per Mosen, uelut Iudæis. Quare nõ sola qualitate bonorum, uerum etiam per mediatorẽ illis superiores sumus.

QVEM AD MODVM elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.] Benedixit nos, inquit, per Christum, perinde ac elegit nos per ipsum, hoc est, per fidem in ipsum. Elegit autem ante mundi cõstitutionem. A supernis enim iam olim prædefinita erant quæ in nos deriuata sunt: neq; enim recetia sunt uel noua, sed à principio dispensata ordinataq;. Pulchrè autem dixit: constitutionem, ut ostendat quòd ab altitudine Dei potentia cõditus sit fundatusq; mundus. Quod uerò ait elegit, Dei clementiam declarat, ipsorumq; uirtutem. omnino enim eos q; futuri sunt, ipse elegit.

VT essemus sancti & immaculati in cõspectu eius.] Ut ne ubi audieris quòd elegerit nos, in posterum ad desiderium labaris, ueluti iam electus: propter hoc, inquit, nos elegit, ut sancti simus & immaculati, permanentes in sanctitate quã impertijt nobis baptizatis, ac uitam uirtutibus comptam habentes. Sanctus enim est, qui fidei cõsors est: immaculatus autem, qui inculpata uita est. Sanctitatem autem querit, & uitam inculpata: non simpliciter, sed coram ipso. Sunt enim multi in cõspectu mortaliũ sancti, quod genus sunt Pharisei, cæterum non in cõspectu Dei: quã rem Dauid etiã testatur: Secundũ, inquit, puritatem manuum mearum. qualẽ intelligit: quæ obuersatur oculis eius. Idẽ & Esaias: Lauamini, inquit, & auferite prauitates corã oculis meis.

QVI in charitate prædestinauit nos in adoptione filiorum per Iesum Christum in ipsum.] **B** Cum dixit elegit, uoluit nos intelligere quòd ueluti probatos ob uirtutem nostram nos elegerit. Quandoquidem autem non à nostra uirtute sola salus prouenit, adiecit, Qui in charitate prædestinauit nos, hoc est propriæ suæ clementiæ gratia diligens nos, prædestinauit. Alioqui credere quidem & accedere ad Christum, partim nostrum est, partim uocantis Dei. Eos uerò qui accesserint, filiorum adoptione donari, solius dilectionis est & clementiæ. Propterea adiecit, Prædestinauit in filiorum adoptionem. qualem? quæ ad ipsum referat genus nostrum, ac nos ipsius domesticos faciat, & ipsi conciliet, idq; per Iesum Christum. Pater sanè prædestinauit, Christus autem adduxit nos. Per filium enim omnia nobis bona conferuntur, nõ per seruum quempiam: hinc & splendidior est ipsa liberalitas.

SECUNDVM beneplacitum uoluntatis suæ, ad laudem gloriæ & gratiæ suæ.] Propterea, inquit, ad filiorum adoptionem nos prædestinauit, uolens ac nimis cupiens atq; desiderans. Hæc enim est bona uoluntas & beneplacitum, ut gratiæ & beneficentiæ ipsius gloria necnon celebritas indicetur. Itane gloriam expetit Deus? Minimè: nihil enim deest diuinæ naturæ: cæterum uult celebrari glorificariq; à nobis, ut excellentius eum diligamus. Nam qui demiratur factam erga sese beneficentiam, dat operam ne ulla ratione impingat uel resistat benefactori. Porro quoties recordatur bona, uehementiori amore accenditur erga eum qui dedit. † Bona uoluntas igitur est, seu beneplacitum, præcedens uoluntas Dei, atq; adeo prima uoluntas Dei, ut nemo pereat. Non enim necessitate coactus punit, sed uolens. Quare beneplacitum præcedens est uoluntas Dei.

QVA nos in dilecto gratiosos reddidit.] Non dixit *ἔχαριτατος*, id est donauit, sed *ἔχαριτωσιν*, id est gratiosos & amabiles fecit. Perinde ac si quis scabiosum quempiam senem, & fame corruptum ac deformem accipiens, protinus elegantem, formosum, & iuniorem reddat, amabilem ipsum in omnibus efficiens: hunc ad modum etiam Deus nos omni cum deformitate tum turpitudine plenos accipiens, amabiles & formosos nos exhibuit. Concupiscet enim rex, inquit, decorem tuum. Amabiles autem nos fecit in dilecto filio suo, hoc est per ipsum dilectum.

IN quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.] In dilecto, inquit, habemus redemptionem. qualem? remissionem dilectorum. quomodo factam? per sanguinem. Hoc enim est maximè tremendum, quòd cæso dilecto filio suo nos liberauit, qui inuisi & odio obnoxij eramus, precium redemptionis dans sanguinem dilecti. Expende autem quòd hoc sit maius etiam filiorum adoptione, quòd filio suo non pepercerit propter nos. Cum enim uerba de illa fecisset, de sanguine ac liberatione filij nunc dicit, de minoribus ad maiora sermonem perducens.

SECUNDVM diuitias gratiæ eius, quam exuberare fecit erga nos.] Hoc fecit, inquit, in

Theophylact.

V 3

diuitijs

Psal. 120. 127.

Deut. 28.

Rom. 6.

Rom. 8.

Leuit. 25.

Exod. 13.

Psal. 84.

Matth. 12. 5.

† *κατεβόλω*, id est constitutionem, molitionem, iacta fundamenta.

Matth. 23.

Psal. 17.

Esaiæ 1.

† *ἔθελοντα*, id est, beneplacitum, primaria scilicet & præcipua Dei uoluntas, qua uult omnes seruari. Est & alia uoluntas secunda, qua uult malos puniri.

diuitijs gratiæ ipsius. Vide autem hîc hyperbolas. Diuitiæ nobis datæ sunt, ac diuitiæ Dei, & gratiæ diuitiæ: idq; non simpliciter, sed qua exuberauit erga nos, hoc est, quam abundè & largiter super nos effudit.

IN omni sapientia & prudentia, ut notum faceret nobis sacramentum uoluntatis suæ. Hoc est, gratiam suam effundit in nos, ut sapientes & prudentes faciat, utq; manifestet nobis mysterium uoluntatis, perinde ac si diceret, arcana cordis sui nobis cognita fecit. Vel ad hunc modum: Vt manifestaret nobis mysterium, quod est in omni sapientia & prudentia, hoc est, quod omni sapientia & prudentia refertum est. Quòd enim abiectos nos tot tantisq; bonis dignatus est, idq; in fine temporum, atq; per crucem, qui non magnæ sapientiæ plenum?

IVXTA beneplacitum suum, quod proposuit in ipso. Fecit autem hoc quemadmodum uoluit, ac sicuti proposuit & prædestinauit, in ipso Christo uidelicet.

AD dispensationem plenitudinis temporum. Beneplacitum hoc, & uoluntatè proposuit, & prædestinauit ad dispensationem, & gubernationem & constitutionem plenitudinis temporum. Plenitudo enim temporū, hoc est, nouissima tempora pœnam postulabant & supplicium, tanquam impleta in ipsis malitia mortalium. Aduentus autem filij, potius salutem in his nouissimis temporibus distribuit, quod est incomprehensibilis sapientiæ.

*Ἐπισημασθέντων
συνδύων, ut con-
summentur, in
summam con-
ferantur, reca-
pitulentur, ad
caput reuocen-
tur: quæ postre-
ma interpreta-
tio Theophy-
lacto magis cõ-
uenire uide-
tur.*

VT consummentur omnia in Christo, quæ sunt in cœlis, & quæ super terrâ in ipso. Dissēta erant cœlestia à terrestribus, nec habebant caput unū. Etsi enim iuxta creationis rationem unus erat Deus omnibus, secundū tamen rationem uendicationis, & peculiaris cuiusdam familiaritatis, non item. Proposuerat enim pater ac prædestinauerat coagmentare ac cõsummare, uel in unam summā colligere cœlestia atq; terrestria, hoc est unum caput imponere omnibus Christum: angelis quidem secundū incorpoream naturā, hominibus uerò secundum carnem. Dicitur etiā anacephalæosis, id est, recapitulatio, etiam succinctim & per capita summam dicere, quæ prolixius acta uel commemorata sunt. In Christo igitur recapitulauit pater, hoc est concidit & abbreviauit, seu breuiter absoluit quæ longo tempore dispensata erāt. Verbum enim consummans & abbrevians in iustitia.

*Sors, fortune
opus.*

IN quo & nos sorte uocati sumus, prædestinati secundum propositū eius qui omnia operatur secundū consilium uoluntatis suæ. Dixit suprâ quòd elegerit, nunc rursus quòd per sortē acciti simus in Christo, hoc est per Christū. Quia uerò sors, fortunæ opus est, & non uirtutis, neq; propositi ceu uoluntatis, corrigit hoc ipsum, inquit: Prædestinati iuxta propositū Dei. Nō enim prædestinasset, nisi dignos agnouisset. Prius enim uidebat nos antequā naceremur, & sortitus est nos, & segregauit sibi ipse qui omnia operatur Deus. Quocirca ipse nostram electionem & sortitionem operatus, nō aberrauit. Felicitatis autē est, per sortem eligi uel acciri, perinde nanq; est, ac si quid citra laborē per diuinā gratiā accesserit, etiam si ad indignos peruenit. Iuxta consilium autē uoluntatis suæ, inquit, ut ostendat quòd nō obiter neq; in transcurso cū Hebræi increduli manerēt, gentes uocatae sint, sed è supernis iam antea hæc definita erant ac præstituta, eratq; consiliū hoc Dei uetus, & uoluntas eius. Etsi enim Christus dixerit, In uia gentiū ne abieritis: & Nō sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel: attamē propter Iudæorū adhortationē hæc dicta sunt, & ut attraheret eos ueluti infantilibus blanditijs delinatos: quandoquidē reuera à supernis iam olim præfinita atq; prædestinata erat uocatio gentiū.

*Matth. 10.
Luc. 20. & 13.*

*Ἰδὲ πάλιν, alij
legunt ἠσπασπι-
νόταρ, id est, qui
antè speraui-
mus.*

*+Et uos spera-
tis uel estis, sup-
plendum.*

VT simus nos in laudem gloriæ ipsius qui sperauimus in Christo. Vt, inquit, in gloriam ipsius simus nos qui sperauimus in Christo, hoc est qui credidimus in Christo, & qui priusquā instet futurum seculum, speramus quæ tum nobis euentura sunt bona. Gloria enim & præconium bonitatis Dei est, quòd adeo à se alienatos seruauerit.

IN quo & uos, qui audiistis sermonem ueritatis, euangeliū salutis uestræ. In quo, hoc est, per quem Christum. Sic & ad Hebræos ait: Locutus est nobis in filio. Sermonem autem ueritatis dicit, ut opponatur figurati adeoq; umbrosæ legi: & Euangelium salutis, ut statuatur in contrariū legi occidenti, futuræq; pœnæ. Prioris enim aduentus prædicatio, salutis causa est: tuba uerò secundi aduentus, est propter pœnam.

*Heb. 1.
Act. 2.*

IN quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto. In quo, inquit, Euangelio credentes, uel in quo Christo, hoc est per Christi gratiā credentes signati estis, ut sit perspicuū quòd sitis sors & hæreditas Dei. Sed Iudæi quidem per circumcisionē signati sunt, tanquam rationis expertia bruta, sigillum carnale recipientes: nos uerò tanquam Dei filij, suprâ quàm carnis patiatur conditio spiritu signati sumus. Promissionis autē spiritum eum appellat, uel quòd ex promissione datus sit. Etenim per Ioelem promisit Deus: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Et Christus, Accipietis uirtutē uenientis super uos Spiritus sancti. Vel quia futurorum bonorum promissionem spiritus stabilit. Datus enim iam nobis, futura nobis rata effecit, propterea & arrhabon dicitur. Audi enim quæ sequuntur.

*Iohel. 2.
Act. 2.
Lucæ 24.*

Philip. 1.

QUI est arrhabo hæreditatis nostræ. Emit Deus salutē nostram à nobis, ac dedit nobis arrham interim spiritū, certos nos faciēs quòd & inexplicabiliū & arcanorū bonorū hæreditatē sit daturus. Qui autē reuera spiritus sunt participes, illi iam hinc nouerūt eum esse arrham perfectæ hæreditatis: quorū de numero & diuus Paulus erat. propterea ingemiscebat & quærebat consummationē accipere & esse cum Christo. Nos autē neq; arrhabonem habemus ut conuenit, neq; quòd perfectum est siue consummationem appetimus, tanquam gustu careamus.

A IN redemptionem acquisitionis.] Acquisitionem, Dei erga nos diligentiam & curam dicit. Ait ergo: Arrhabo iste ad perfectam nostram redemptionem, & puram acquisitionem ducit, ac propter ipsam data est. Tum enim erit perfecta libertas, quando prorsus destruetur peccatum, quando & sancti absoluti fuerint à cohabitatione peccatis coinquinatorum, apparuerintq; acquisiti & possessi Deo, quòd sint ipsius populus. Nonnulli acquisitionem, nos ipsos intellexerunt. In redemptionem igitur acquisitionis, id est nostri qui sumus acquisitio, possessio, & substantia uel facultates Dei.

IN laudem gloriæ ipsius.] Continuo hoc infert, certiores nos reddens quòd omnia quæ sunt promissa, certò euenient. Quòd si nostra causa ista faceret, dubitare licebat: iam uerò quia hæc facturus est ut appareat ipsius propria benignitas, quis contradicet, quòd non sit facturus? Hanc ad rationem scriptura, Fac nobis, inquit, propter nomen tuum. &, Non nobis, sed

*Psal. 108.
Psal. 113.*

nomini tuo da gloriam.
PROPTEREA & ego, audita fide uestra in Domino Iesu, ac dilectione in omnes sanctos, non cesso gratias agere pro uobis.] Propter hoc, quale? quòd fide recepta, signati sitis spiritu, arrhabonemq; acceperitis futurorum bonorum, perfectæq; redemptionis, assecuturiq; sitis ea quæ sunt reposita ijs qui rectè credunt & uiuunt. Gratias agere pro uobis. Animaduertis hic pium diui Pauli affectum, & clementiam eius, quomodo pro omnibus gratias agat, ceu ipse beneficium accepisset? Non enim solum istis, uerumetiam omnibus, scribit hoc. Dignum est autem gratias nos agere Deo pro cunctis beneficijs alijs quæ in nos ille transtulit. dignum

*Gratie Deo
agenda.*

tamen etiam est pro fide credentium gratias agere, quòd sic illuminati sint, quòd cruci seruatoris appositi sint, deficientes à perdente lege atque Satana: id enim fraternæ charitatis est. Audita fide uestra, quæ est per Iesum Christum: nec sola fide, uerumetiam sanctitate, hoc est misericordi, & fratrum amanti animo, atque humano, qui erga omnes est, non erga solos indigenas sanctos, hoc est, fideles pauperes. Vbique autem fidei charitatem connectit, generantem uitam uirtutibus conspicuam. citra hanc enim alterum ociosum est, fides nempe sine ope

ribus & uita, quemadmodum & uita sine fide.

MEMORIAM uestri faciens in orationibus meis.] Expende tecum quot nam secum in corde gesserit, quot etiam fratrum & fidelium mentionem fecerit in orationibus. Nos ne nostri quidem ipsorum ut oportet reminiscimur.

UT Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ.] Quid precaris, uel intercedis pro nobis? **UT** Deus erudiat ac sapientes uos faciat. Deus autem Domini Iesu, hoc est, hominis, qui secundum carnem nobis est similis. Pater gloriæ, id est, qui ingentia necnon præclara & celebrata nobis bona dedit. Semper enim à proposito argumento ipsum nominat, ut in illo: Pater

*2. Cor. 1.
Psal. 17.*

miserationum, ac Deus consolationis. Quinetiam Propheta: Dominus fortitudo mea, & cornu salutis meæ. Hic igitur, postquam magna & gloriosa nobis donauit, patrem gloriæ, hoc est, autorem, ipsum appellat. Non potest enim eum aliter uocare, quàm ab ampliore splendidiorq; apud nos nomine. Theologus autem Gregorius, per gloriam, unigeniti diuinitatem intellexit, ut sit unius & eiusdem Christi Deus & pater: Christi quidem siue humanitatis, Deus:

*Christi Deus
& pater.*

gloriæ uerò, siue diuinitatis, pater.
DET uobis spiritum sapientiæ ac reuelationis, in agnitione ipsius illuminatos oculos cordis uestri.] Hoc est, donum & gratiâ uobis exhibeat, ut per spiritum sapientes reddamini erudiaminiq;. Nisi enim spiritus reuelauerit uobis abdita mysteria, fieri non potest ut alia ratione eadè discatis. Ipse nanq; solus, nò angelus, neq; archangelus, omnia rimatur, etiâ profunda Dei: animalis autè homo nò percipit quæ sunt spiritus. Cû igitur à spiritu reuelata nobis fuerint mysteria, tum in agnitione Dei sumus, illustraturq; oculi nostri, nec porro ambigimus ac dicimus quòd sit impossibile hoc uel illud fieri, cæterum uidemus omnia quemadmodum sunt.

1. Cor. 2.

UT sciatis uos, quæ sit spes uocationis eius.] Hoc est, ad quales quantas ue spes uocati sumus. Planum est autem quòd ad filiorum adoptionem, cælestiumq; bonorum perceptionem, & ut caput nostrum Christus esset. Quia enim hoc futurum est, spirituali indiget homo reuelatione ut isthuc discat.

ET quæ sint diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis.] Et hoc cum obscurum sit, opus habet reuelatione spiritus, quorû nam sint hæreditatè adituri sancti, quataq; bona accepturi: magna enim sunt. Hinc & diuitias gloriæ ea nominat, hoc est, inenarrabilem gloriâ, & humani ingenij captum planè exuperantem. Hæreditatem autem ea bona uocat, quippe quæ sint filijs danda.

ET quæ sit supereminens magnitudo uirtutis eius in nos credentes, secundum operationem potentiæ uirtutis eius, quâ operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis.] Quæ prædicta sunt, de futuris rebus fuerunt. iam uerò quòd factum est, memorat, ut ab his fidem etiâ illis conciliet, ac rata ea faciat. Quale autè hoc est? ut credamus, inquit, nos. Atq; hoc ipsum spiritus reuelatione indiget, ut ipsum apertius discatis. Quid igitur? non nouerât Ephesij se credere? Norant sanè, sed non eam ad rationem, ut Paulus hic dicit: nam haud facile est illud nouisse. Magnæ namq; potentiæ est, animi sententiam mutare, atq; ab errore reuocare: tantæq; est uirtutis, quantâ ne mortuorû quidè excitatio postulat. Mortuos nâq; uno tantum uerbo excitauit Dominus, Iudejs autè ne multis quidè cõcionib. & admirabilibus signis persuasit. Dicit ergo quòd ad hoc spiritus indigeamus reuelatiõne, ut discamus nos, quòd crediderimus, magna

*Luc. 7 & 8.
Ioan. 11.*

Rom. 4. uirtute & efficacia factum est. Et quemadmodū Christum excitauit ex mortuis, sic & nos cum **C**
 Injra 2. mortui essemus, excitauit ex incredulitate. Propterea & excellentem magnitudinem uirtutis, siue potentiae ipsius hoc uocauit, & robur fortitudinis eius. Quando enim propheta nihil ef- fecerunt, & omnis creatura cū uisibilis per ornatum & insignem ordinem docens nos, tum inuisibilis per deducentes ac erudientes nos angelos: tunc ex inopinato & modo naturae nostrae opinionem excedenti seruari sumus. Illud autem, Operatus est in Christo, propter huma- nam naturam dictū esse intellige. Quod enim resurrexit, homo est, etiam si Deo unitus fuerit.

ET constituens in dextera sua in supercaelestibus supra omnem principatum, & potesta- tem, & uirtutem, & dominationem.] Nō dixit *ανω*, id est supra: sed *ὑπερῶν*, id est plus quā su- pra, ut summam altitudinē indicet. Ab infimo enim gradu ad altissimum retulit humanam in Christo naturā. De hac enim disputat, quae & mortua est, & excitata: quandoquidē diuina na- tura neq; mortua est, neq; excitata, neq; exaltata, quae nunquā non omnem altitudinē excellit. Superior igitur omni angelica potentia cōstituta est humana natura, quae antea execrata erat.

ET omne nomen, quod nominatur nō solū in hoc seculo, uerum etiā in futuro.] Si quid, inquit, in cōlo est, inferius est assumpto & exaltato, cūctisq; ipse est superior. Discimus autem quasdam esse potentias iam quidem incognitas & innominatas, quae tum reuelabuntur.

ET omnia subiecit sub pedes eius.] Ut ne cum audis quōd' sederit supra, existimes ipsum praelatum tantummodo, ostēdit quōd' & Dominum eum fecerit omnium. Nec simpliciter sub- iecit, sed extrema subiectione: sub pedes enim eius.

ET ipsum dedit caput super omnia ecclesiae.] En rem omnibus modis admirādam, siquid- em ecclesiam in eundem thronum collocauit. ubi enim caput est, illic & corpus. Quod uerō ait, Super omnia, significat quōd' excelsum caput dederit, quod super omnia sit, super angelos, & super archangelos.

† τῆ ἐκκλησίας,
ecclesiae uel
ipsi ecclesiae,
datiui casus
est.

† πληρούμενος,
qui adimplet,
uel adimple-
tur. Verbum
enim est me-
dium. passiuē
autem accipe-
re uidetur
Theoph.

† τὰ πάντα,
supplendum
puto, κατὰ, ut
fit per omnia,
siue quo ad,
uel quantum
ad omnia.

QVAE est corpus ipsius, plenitudo eius qui omnia in omnibus + adimpletur.] Ne auditō capite putes principatum aliquem uel potestatem significari (nam & haec caput significat) ait, quemadmodum corporis est caput, ipsius ecclesiae Christus caput est: hacq; ratione ei cogna- tus est & unitus. Et ecclesia est plenitudo ipsius. Ut enim corpus est plenitudo capitis, replens ipsum per propria membra: hunc ad modum ecclesia est plenitudo Christi, qui + omnia in om- nibus adimpletur. Adimpletur enim Christus, ac ueluti plenē consummatur per omnia mem- bra in omnibus fidelibus: ueluti quo ad manū adimpletur in homine misericorde, & qui alio- rum infirmorum cura tangitur: quo ad pedem adimpletur in eo qui uerbi Dei amore peregrinatur, in eo qui fratres inuisit, & quo ad aliud membrum in alio fidei. Sic fit ut quo ad omnia **D** membra in omnibus fidelibus adimpleantur, hoc est, per omneis fideles, alio aliam commo- ditatem cōtribuente. Tum enim impletur caput nostrum Christus, hoc est, perfectum corpus recipit, quando simul omnes fuerimus coniuncti & conglutinati.

CAPVT II.

Rom. 5. **E**T uos cum essetis mortui delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris, spiritus.] Supra dixit quōd' eandem potentiam & operationem ostēderit Deus erga nos, quam & in Christo. De illo sanē dixit, quōd' excitauit eum à mortuis, & constituerit super omnia: posthac uerō de nobis etiam uerba facit. Vos, inquit, cum essetis mortui (mōtem non corporalem ex Adamo pro- pagatam, sed animae, ex nobis ipsis constantem, quae peccatorum est, intelligit) suscitauit exci- tauitq;. Itaq; pari potentia Dominum excitauit è morte corporea, & nos ex animae morte, ex peccatorum fœditate accidente. Quin potius, animos transmutare, & in aliam sententiam in- ducere, maius est, quā mortuos excitare, ut supra etiam commemoratum est. Sensus igitur totius huius loci est huiusmodi, etiam si in longum extendatur, usq; dum peruenerit eō ubi di- cit, Viuificauit simul cum Christo, multis nimirū interpositis, repetitioneq; facta, cū ait, Deus qui opulentus est in misericordia. Cū dixisset igitur eos esse mortuos, ac monstrasset quomō- do fuerint mortui, nimirū per delicta & peccata, bifariam iam eos cōsolatur per hoc quod ait, In quibus olim ambulastis, & nō hodie: tum per hoc quod infert, A' diabolo in potestātē reda- cti, peccabatis, qui uobis cooperabatur, qui a deo potēter uos suo iuri subiugabat. Peccabatis igitur, secundū seculum mundi huius circumambulantes, hoc est cogitantes quae mundi sunt huius, adeoq; tēporaria, perperamq; utentes seculo hoc. Non enim seculum malū est, sed abu- sus eius: siquidem isthuc datū est nobis in ducē ac uiae ductorem, quatenus corruptibile est & fluxū, excitans nos ad incorruptibilia & minimē fluxibilia. Nos autē corruptioni & fluxui hu- ius alligati, in causa fuimus quorū ipsum non esset nobis ductoris uice, sed potius nos impedi- rit. Principem autem potestatis aeris, diabolum appellat, nō conditorem, perinde ac execrati Manichæi: principem itaq; quōd' mortales ipsi seipso ei subiecerunt, ac plures ipsi seruiant quā Deo. Veruntamen in seculo hoc huiusmodi ei est principatus, qui aerem non transcen- dat. non enim in cōlo locū habet, sed sub cōlo. Propterea & Paulus principem potestatis ae- ris appellat, non ueluti in aerē dominetur, eumq; gubernet, haudquaquā, sed quōd' in eo liben- ter demoretur. Nā cum diabolus spiritus sit, in aere ueluti spiritu cōmoratur, ac hactenus pote- statem habet atq; potentiam, princeps eorū qui sese ipsi subijciunt. Nonnulli uerō principem aeris, aerearum potentiarū intelligūt: unde & intulit, aiunt, Spiritus: hoc est, iuxta principem & domi-

Princeps potes-
tatis aeris dia-
bolus.

A & dominatorem omnis in aere uersantis spiritus. Postquam enim semel princeps factus est, uidetur ab eo principatu ne post transgressionem quidem excidisse.

QVI nunc operatur in filijs [†] diffidentia. Non dixit cogentis, sed operatis: unde planum est quod in uoluntarios dominetur. si enim inuitis nobis nostri dominaretur, cogeret sanè. Patet etiam ex sequentibus illud. Operatur enim, inquit, in filijs inobedientia: hoc est, qui non obtemperant Deo, sed illi obtemperant sponte, non coacti.

† *arbitras diffidentia, uel inobedientia, siue immorigeris & contumacibus;*

IN quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus, in desiderijs carnis nostrae facientes uoluntates carnis & cogitationum. Non in hoc solo consolatus est eos, quod diceret ex diabolo fuisse quod peccassent: uerum etiam per hoc quod seipsum & omnes reliquos cum illis in eodem ordine numeret, & collocet, nemo enim sine peccato erat. Concupiscentias autem carnis, quae ex carnali affectu sunt, dicit. Porro quod carnem non accuset, planum est inde. Cum enim dixisset, Facientes uoluntates carnis: subintulit, Et cogitationum: hoc est, nihil spirituale sentientes. Proinde caro non est accusanda, sed mens & cogitatio ad uoluptatis affectiones pertrahens. Vel hunc etiam ad modum intelligere poteris: Cogitationes & mentes nostras sordibus defaedamus, cogitantes quae mala sunt. Et carnem, facientes ea. Potes autem carnis quidem opera, fornicationem & huiusmodi accipere: mentis autem siue cogitationum, inuidiam, uindictam, idque genus alia.

Concupiscentia carnis.

Carnis & animae opera.

ET eramus natura filij irae, sicut & caeteri. Pro eo quod est, coacerbauimus Deum & prouocauimus, & nihil aliud praeterquam ira reuera eramus. Quemadmodum & filius hominis natura est homo, sic & nos. Perinde autem ut filij gehennae & interitus dicuntur, qui digna his operantur: sic & irae filij, qui quae ira digna sunt faciunt. Natura autem, pro uere & genuine. Sicut & caeteri, nemo enim liber erat.

DEVS autem qui diues est in misericordia. Nos quidem quae digna essent ira pertinaciter patrabamus: Deus autem non simpliciter misericors existens, sed diues in misericordia.

PROPTER multam charitatem suam, qua dilexit nos. Dilectio etiam multa misericordia est. quomodo enim, cum filij irae essemus, dilecti fuimus?

ET cum essemus mortui delictis, conuiuificauit nos Christo. Hic tandem est redditio & absolutio supra coepae sententiae, caetera uero sunt interiecta. Iterum autem Christus medius est, & res fide digna. Nam si primitiae uiuunt, & nos. Uiuificauit enim & illum & nos: illud quidem, actu & opere ipso: nos uero, potestate nunc, paulo post uero etiam actu. En excellens & eximia magnitudo potentiae eius est, quod in mortuos nos irae filios, uiuificauit. haec sanè spes est uocationis.

B **GRATIA** estis seruati. Hoc ex animi sui consternatione, ex affectu in medium protulit, demiratus ineffabile donum Dei. Non labore enim & proprijs operibus seruati estis, sed sola gratia. Quod enim ad opera attinet, poena & ira digni eratis.

ET conresuscitauit & consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu. Quemadmodum primitijs nostris, & capite, Christo uidelicet, excitato, & nos per ipsum excitauit: huc ad modum sedente capite, reliquum corpus simul sedet. Propterea inquit, in Christo Iesu, hoc est, quia ipse sedet, & nos sedemus. Vel quod ait consuscitauit, non de resurrectione accipiendum est, sed de regeneratione & uiuificatione per baptismum. Quomodo igitur consedere fecit? Si sustinemus, inquit, & conregnabimus. Et Christus, Sedebitis super duodecim thronos. & rursus: Sedere autem a dextris meis & in sinistris meis, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est. Itaque paratum est.

Matt. 19. et 20.

UT ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiae suae, in bonitate erga nos in Christo Iesu. Ne quis fidem non adhibeat dictis, persuasibilem orationem facit: Etsi, inquit, non faciat propter charitatem quam erga nos habet, propterea tamen, ut ostendat uelle bonitatem, faciet omnino. Hodie quidem plerique sunt increduli, in futuro tamen seculo omnes agnoscent quid nobis donauerit, cernentes in gloria nullis uerbis explicabili sanctos. Quod uero ait, In Christo Iesu, hoc est, non ad Christum solum usque haec consistent, sed per ipsum uenient etiam ad nos, ueluti a principio ad finem, adeoque ad ipsum totum ac simul uiuificabimur, ac simul sedebimus. Haec quidem magnus Ioannes Chrysostomus hic dicit. In euangelio uero Matthaei dicit quod nemo sedebit. Verè igitur spiritus reuelatione opus est, ut intelligamus profunditatem mysteriorum horum. Nisi enim palam diceret sapientissimus ille doctor Ioannes quod & nos sessuri simus, posset aliquis affirmare quod in Christo sedeamus, perinde atque in Christo adoramus ab angelis. Non enim nos adoramus, quod ad nostram personam: caeterum natura nostra unita Deo uerbo, adorata, ad nos gloria ista transit. Idem igitur & nunc dicit, quod & nos sedebimus.

Chrysostomus.

GRATIA enim seruati estis per fidem. Comemoratis ijs quae Dei sunt, nempe quod gratia seruati sumus, intulit etiam quod nostrum est, per fidem: ut ne uastet liberum arbitrium, suam uel cuiusque potestatem.

Liberum arbitrium.

ET hoc non ex nobis, Dei donum est. Rursus ipsum sustulit, inquit, quod neque fides ex nobis sit: nisi enim uenisset, ac nisi uocasset, non obediissemus. Quomodo enim, inquit, credent, nisi audiant? Proinde & ipsa fides donum Dei est. Vel aliam ad rationem: non fidem dicit donum Dei, caeterum per fidem seruari, hoc est donum Dei. Esto enim quod fides nostra sit, quomodo potuisset ea nos sola seruare, nisi Deo placuisset nos suscipere per ipsam: ut ne in totum simus oecijs, sed uideamur quicquam conferre.

Rom. 10.

NON

NON ex operibus, ut ne quis gloriatur. Non habentes nos opera repulit, uerum prodios sub operibus gratia nos seruauit, ut ex euentu isto tandem nemo gloriari queat. Nam coniunctio (ut) hic non reddit rationem, uerum rei euentum denunciat.

IPSIVS enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, ut in ipsis ambulemus. Ut ne si audias nos ex operibus haud esse iustificatos, deses fias circa opera: subiicit, Quod nunc post fidem operibus opus est. Conditus es enim in Christo Iesu, & noua creatura factus es, defuncto tibi uetere homine in baptisate. Ac quemadmodum principio cum non esses, produxit te ut esses, sic etiam nunc ut bene esses, te protulit: conditusque es non ut ocieris, uerum ut opereris circumambulesque in bonis operibus: hoc est, omnem ætatis tuæ cursum in hisce perficias, non duos treis uel annos, sed omnem uitæ tuæ uiam. hoc enim indicat per circumambulare. Deus enim præparauit hæc, quocirca non licet illa reijcere, ceu opere diuinitus destinato. In operibus bonis, non uno nimirum opere, sed omnibus. nam si unum desit, mutilata est uirtus. Gregorius autem theologus, quod dixit, Creati in operibus bonis, non de creatione in baptisate, uerum de prima creatione interpretatus est.

Operum necessitas.

PROPTER quod memores estote, quod uos olim gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manufacta, quod eratis illo in tempore sine Christo. Cum dixisset quod mortuos seruauit, dicturus iam est quibus æquales fecerit & coheredes, nimirum Israelitis. ingens enim horum erat dignitas & autoritas. Et ait, Propter quod memores estote: propter quod nam? & quamobrem? propterea quod creati simus in operibus bonis, siue ad opera bona: hoc enim solum sufficit persuadere nobis, ut uirtutis rationem habeamus. Memores autem estote dixit, ideo quod ferè fieri soleat, ut qui à magna abiectione & uilitate ad fastigium quoddam prouecti sint, priorum ne meminerint quidem rerum, status uel. Quid uerò est cuius memores esse debeant? quod ab alienati eratis à Christo temporibus prioribus, nunc uerò uiciniores ipsi facti estis, atque adeo ei appropinquastis, perinde ac Israel. Hic igitur huius loci scopus est. Animaduerte autem quàm scite deiiciat circumcisionem, ostendens solo eam uerbo differre à præputio, non opere. Vos enim gentes, inquit, in carne, non in spiritu: qui dicimini, sed non estis. perinde quasi dicat, in carne estis inferiores, non in spiritu: & rursus ab ea, quæ dicitur, circumcisio in carne, prælationem & honorem in solis uerbis & carne innuens. Præputium igitur non erat grauis ac execrabilis res, etiam si diceretur ab iis qui circumcisionis nomine cristas tollerent. Sine Christo uerò esse, illud demum uerè & graue & intolerabile. Quid igitur monstraturus eos esse participes gloriæ Israelitarum, dignitatem Israelitarum eleuat? At reputa tecum in quibus eleuet, in rebus uidelicet non perinde necessarijs. Non enim res est necessaria circumcisio, sed in differens ac media. In rebus uerò necessarijs uehementer eos attollit, sanctos nominans, Israelitas, atque domesticos Dei.

Circumcisio res media.

† non creat, ciuilitate, reprobatione, siue ratione uiuendi.

ALIENATI à conuersatione Israelis. Non dixit segregati, sed alienati, quando quidem & Israelitæ extra legalem adeoque diuinam uitam erant, sed non tanquam alieni, sed tanquam socordes.

Gen. 15.

ET hospites testamentorum promissionis. Hæc etiam magna separatio est. Non enim dixit, non attendentes testamentis, sed omnino hospites. Etsi enim Israelitæ exciderunt à promissionibus, sed non ut hospites & alieni. At quæ nam sunt testamenta promissionis? Tibi dabo & semini tuo terram hanc, & quæcunq; alia promisit, spiritualiter intellecta.

SPEM non habentes. De futuris, de resurrectione uidelicet, & retributione.

ET sine Deo in mundo. Atqui deos adorabant, sed dii non erant. Adiecit autem, In mundo, ut ostendat quod non solum in cælestibus imminuebantur, inferioresque Hebræis erant, uerum etiam in rebus super terram celebribus. Siquidem Israelitæ propter cultum Dei celeberrimi & clarissimi fuerunt.

NUNC autem in Christo Iesu, uos qui aliquando eratis longè, propè facti estis in sanguine Christi. Longè eramus à Deo, non loco, sed uoluntate & conuersatione seu uita. Nunc autem propinqui facti sumus non conuersatione & uita. nil enim attulimus ex operibus, sed in Christo Iesu & sanguine eius. Nam ipse sanguine suo pro nobis effuso, seque ipso pro nobis tradito, liberauit nos à captiuitate, quæ nos procul remouebat ab ipso, & propè adduxit. Potes autem etiã sic intelligere, quod procul eramus ab Israelitis, iam uerò nos ipsis propinqui facti sumus.

IPSE enim est pax nostra, qui fecit utraq; unum. Ante incarnationem ingens erat inimicitia inter circumcisionem & præputium: nunc autem pacem adepti sumus, unum facti per fidem. Non porrò enim circumcisio & præputio signamur, sed idem unumque nobis signum est, fides ipsa. Fingamus duos esse, alterum seruum, alterum filium adoptatiuum, atque ambos eundem offendisse, adeoque deliquisse: hunc quia digna abdicatione commiserit, illum quia factus sit transfuga: deinde utrique constituentur hæredes, efficianturque gnesij, id est genuini filij. En ad eundem honorem perducti sunt, duoque isti unum sunt facti. Hunc ad modum gentes & Israelitæ, illæ quidem ut serui, hi uerò Israelitæ ut filij impegerunt. [* Hic quædam deesse uidentur, quæ ex Chrysostomo sumi possunt.] Quid dicis? Instaurata & cõsummata sunt omnia siue quæ in cælis, siue quæ in terra. * quid igitur ceu rem preciosam & præclaram, participationem cum Israelitis ad nos homines retulisti, ac iam denuò tanquam præclaram quid refers? Næ, inquit, illa enim oportet fide comprehendere, ista uerò ipsis etiam operibus quoque:

A quoque: Non hoc adferit, quod nos ad generis illorum claritudinem perduxerit, sed quod & illos & nos prouexerit potius ad maiora. Veruntamen maior est ipsius erga nos beneficentia. Illis siquidem etiam promiserat, nobis uero ne promisit quidem, sed procul aberamus, iuxta prius positum exemplum. Gen. 15.
Exod. 3.

ET medium parietem maceræ soluens, inimicitiam in carne sua.] Interpretatur quid sit medius paries maceræ uel sepi, inimicitia uidelicet gentium & Iudæorum aduersus Deum, quæ ex nostris nascebatur delictis, ut & propheta dicit: Non ne iniquitates uestræ diuidunt inter uos & me? Medium igitur istum parietem, inimicitiam dico, dissoluit ac diremit propria carne sua. Quia isthuc uia? listens illis inimicitiam, quatenus enim uniuert eam deitati, perspicuum est quod reconciliationem fecerit, complicatis coagmentatisq; duabus naturis. Atque etiam alia ratione, quod expers peccati apparuerit, uniuersamq; legem impleuerit, inimicitiam diluit. Lex enim sepes & munitio erat, ueluti ad securitatem data, ut obfirmaret. Non seruata autem, ostendit medium parietem peccatum, quo factum est ut non essemus in tuto & securitate, sed à Deo potius separaremur. Esaiæ 59.

LEGEM mandatorum in decretis abolens.] Ne quisquam obijciat, Quid commodat nos à priori legis transgressione liberatos, si rursus eam seruare adigimur? ait, etiam ipsam soluit. Cum enim hanc dedisset nobis ad munitioem, quia nō custodiuiimus eam, debebat nos punire: at qui legem is planè dissoluit & abrogauit, æquè ac si quis ubi puerum pædagogo tradidisset, hunc cum non obediret, à pædagogo quoq; liberet. Legem autem mandatorum ait, tanquam de uita & moribus disputantem: dogmata uero seu decreta, fidem, ut quæ per dogmata consistat, perinde quasi dicat, Pro uita fidem introduxit. Non enim ex mandatis iustificati sumus, hæc & hæc facere præcipientibus, uerum si credideris in corde, & confessus fueris spiritu, saluus eris. Vel dogmata, certa illa mandata Dei appellat, Ego dico uobis, ne omnino iuretis: & Ne irascamini, & id genus alia. Rom. 10.
Matt. 5.

UT duos condat in seipso, in unum nouum hominem.] Non ex Græco Iudæum fecit, sed ambos ad meliorem statum sustulit. Non dixit autem perinutet, sed creet condatq; , ut perspicuum uideatur quod dixit, & quod à naturalibus rebus deinceps non oporteat resillire. Illud autem, In seipso, accipitur, uel propter seipsum. Non enim alij cupiam hoc iniūxit, sed ipse per seipsum & Iudæum & gentilem conflans, unum protulit nouum & admirandū. Vel quod ipse primū exhibuerit formulam nobis & exemplar, uisusq; sit ille primus id, quod illos fecit: & quia medius utriusq; factus, & hinc Iudæum continens, illinc uero Græcū, commiscens illos ac temperans, ac omne quod alienū erat, exterminans obliteransq;, resinxerit diuinitus per ignē & aquam. In humana igitur natura quam assumpsit, quæ cōmunis est cū Græco tum Iudæo, & pro utriusq; salute assumpta, in hac inquā ab omni corruptione & uetustate ex peccatis cōtracta, alienata, condidit duos in unum nouum hominē à senio peccati atq; dementia liberatum. Nō enim proprijs porro formis & hic & ille signatur, sed unius hominis secundū Christū formati species, adeoq; formæ utrosq; signant. Propius enim attinges quod dicitur, Si intellexeris ipsum Dominū esse angularem summū lapidem, hos autē duos, parietes in hoc cōditos.

FACIENS pacem.] Et inter illos mutuō. Siquidem Iudæus tum gentili copulatur, quando fidelis fuerit, maximè uero in ijs quæ ad Deum attinent, quod & magis proprium, ut deinceps patefiet.

ET ut reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem.] Nō dixit, conciliet, sed, reconciliet: ostendens quod & olim per legem conciliabatur ad Deum humana natura: deinde per transgressionem magis inimica facta indignit conciliatione rursus ad Deum, quæ ueluti peffeta, meritō appellatur reconciliatio. In uno autem corpore, id est, suo. Quæ enim nobis debebatur pœna, ipse sustinuit in corpore suo per crucē, quod & supra dixit, In carne: ac rursus, Duos condet in seipso. Nonnulli, quod ait, In uno corpore, sic intellexerunt pro eo quod est, ueluti unum corpus factos utrosq;, cuius ipse est caput, conciliauit Deo. Exod. 19. 21. &
24.

INTERFICIENS inimicitiam in ipso.] Non dixit soluens, uerum quod est expressius & maiorem habet emphasim, interficiens, ut nō amplius resurgat. Quomodo igitur rursus resurgit inimicitia? Illa quidem nunquam resurgit, sed aliam progneramus nos denuō peccantes. Quod ait in ipso, uel ad crucem referendum est, uel ad corpus ipsius. Etenim inimicitiam in cruce etiam occidit & in proprio corpore, in quo & crucem recepit. † uerū, id est,
ipso uel ipsa,
ut ad corpus
& crucem, quæ
apud græcos
mascul. est ge-
neris, referrā
possit.

ET ueniens euangelizauit pacem uobis qui longè eratis, & ijs qui propè.] Non alium misit, sed ipse uenit serui ac ministri forma accepta, prædicauitq; pacem ad Deum, uidelicet illis qui longè erant gentibus, & ijs qui propè erant Iudæis. hi enim Deo familiares putabantur. Dixit enim Christus, Pax relinquitur uobis: & Confidite, ego uici mundum: & Pater uos amat: & Omnia quæcunq; petieritis, accipietis. Hæc enim omnia pacis signa sunt. Ioan. 14. & 16.

QUONIAM per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad patrem.] Iram soluit per propriam mortem, deinceps autē amabiles fecit patri, per spiritum gratos nos faciens una gratia. Non enim illos ut uiciniores, maiori: nos uero ut remotiores, minori donauit: sed in uno spiritu utriusq; unam gratiā dedit, sicq; ad patrem attulit. Vel (in) præpositionem pro (per) accepit, ut sit sententia huiusmodi: Per ipsum adducti sumus ad patrem, & per spiritum.

ERGO iam non estis hospites & aduenæ, sed cōciues sanctorū.] Quia filius manet in sempiternum,

piternum, non consecuturi supernam ciuitatem, hospites & aduenæ sunt. Vos autem tales nunc non estis, uerùm conciuēs sanctorum, non simpliciter Iudæorum, cæterum sanctorum illorum patriarcharum, & prophetarum, ac in eandem urbem accensi conscriptiq; sumus, quæ in cœlis est, quæ perseuerat, quam illi etiam desiderabant.

AC domestici Dei.] Quod illi per multos labores uix obtinuerunt, nos per gratiam inuenimus, Deo dediti, ac domestici facti. Ecce spes uocationis: talibus enim spebus uocati sumus, ut talia etiam recipiamus.

SVPERAEDIFICATI super fundamentum apostolorum & prophetarum.] Eximiam coniunctionem & coadunationem gentium ad prophetas & apostolos significare uolens, Superædificati, inquit, perinde ac si dicere uellet, fundamentum positi sunt prophetae & apostoli, uos reliquam structuram compleuistis, ut omnes uos efficiamini unum templum Dei. Quale autem est, super prophetas & patriarchas ædificari? quod alibi insitionem dicit. Primos autem apostolos posuit, etiamsi sint tempore nouissimi.

IPS O summo angulari lapide existente Iesu Christo.] Qui omnia continet, est Christus. Ipse enim summus angularis lapis & parietes continet & fundamēta. Animaduerte hîc quod nonnunquam ipsum in supernis cingere uniuersum dicat: ubi & caput ipsum uocet: nonnunquam autem & infrâ, ut in angulari lapide: alibi autem & fundamentum ipsum uocat.

IN quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino.] In summo angulari lapide isto, Christo nimirum, omnis ædificatio, id est, omnes fideles constructi & uniti, congenitè adeoque connaturaliter & indiuisè crescunt & complentur, ut fiant templum Dei. Habitabo enim, inquit, in ipsis & inambulabo. Nam & communiter ecclesia, hoc est, collectio omnium fidelium, dicitur templum Dei, & unusquisq; priuatim. In Domino autem dixit, pro per gratiam Domini, non per nostros labores. Cum autem dicit constructi, ostendit quod non licet aliter componi nos in templum Dei, nisi & uitam uiuamus quæ respondeat ipsi summo angulari lapidi.

Leuit. 26.
Ecclesia, templum Dei.

IN quo & uos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu.] Vniuersi quidem fideles in hoc coædificantur, ac uos quoque Ephesij, ut sitis habitaculum Dei in spiritu, hoc est, per spiritus auxilium: uel ut sensibili structuræ opponeret, dixit in spiritu. perinde ac si dicat, habitaculum Christi spirituale. Proinde ad secundum usq; aduentum hæc coædificatio sit per ubilibet credentes.

CAPVT III.

H VIVS rei gratia ego Paulus uinctus Christi Iesu pro uobis gentibus.] Cum hætenus Christi erga nos curam indicasset, deinceps qua & ipse sollicitudine & affectu tangatur, ostendit. Quia, inquit, Dominus meus talia exhibuit, necesse est & me quæ pro uiribus potero afferre. uinctus igitur sum pro uobis. Si igitur ille crucifixus est, ego sanè pro uobis uinctus detineor. Dicēs aut pro uobis gētibus, hoc indicauit, quod nō solūm uos nō execramur, uerū etiā uincimur propter uos, & Christi uinctos nos ipsos nominamus, gloriæ id nobis ducētes.

SI QUIDEM audiuistis dispensationem gratiæ quæ data est mihi erga uos.] Vaticinium Acl. 9. indicat Dei ad Ananiam: Vas electionis mihi ille est, ut portet nomen meum coram gentibus. Reuelationem quoq; mysterij, quod ab hominibus non didicerit, gratiæ dispensationem uocat. Galat. 1. Sic enim, inquit, dispensauit gratia Dei, ut è supernis uocarer ego, utq; excæcaret lumine suo me inobedientem, ut sic tandem obedirem. Ad uos autem, inquit, data est mihi gratia. Ipse Acl. 22. nanque dixit mihi, Ad gentes longinquas emandabo te. Proinde gratiæ hoc totum est, & nihil ego mearum uirium attuli.

¶ *ἡ ὑπόστασις*, notum fecit, siue patefecit. Chrylost. tamen habet *ἡ ὑπόστασις*, id est notum factum est.

¶ *ἡ ὑπόστασις* ad quod, iuxta quod, siue prout.

QVONIAM secundum reuelationem notum fecit mihi mysterium.] Ecce, gratiæ opus est mysterij reuelatio. Mysterium est enim reuera, gentes ad maiorem quàm Iudæorum sit, honore in traducere à summa uilitate.

SICVT suprâ scripsi in breui.] De quibus suprâ locutus est, dicit quod uocatae sint gentes quæ longè erant, quodq; ædificati sint supra patriarchas, & quæcunq; sunt huiusmodi. In breui autem, pro paucis dixit.

¶ IUXTA quod potestis legem intelligere cognitionem meam in mysterio Christi.] Scripsi, inquit, non quantum oportebat, sed secundum uires uestras, & captum uestrum. Ex quibus potestis intelligere cognitionem meam quæ mihi est in mysterio Christi, hoc est, quoniam cognouerim & intellexerim mysterium Christi, quod sedet à dextris, quod nos confedere fecerit, quod in seipso condiderit utrosq; in unum nouum hominem, & quæcunq; alia ad mysterium pertinent. Agnoscetis igitur dignitatem cognitionis meæ, quandoquidem tanta patefecerit mihi Deus. Et quod hoc magni honoris sit, audi. Non fecit sic, inquit, omni genti, quoniam iustificationes & iudicia sua manifestauit Israeli.

QVOD alijs generationibus non est agnitus filijs hominū, sicut nunc reuelatū est sanctis eius Apostolis atq; prophetis in spiritu.] Quid igitur? Non norant prophetae? Ecqui Christus inquit, Moses & prophetae de me scripserūt: scrutamini scripturas, illæ nanq; sunt quæ testimoniu perhibent de me? Primum quidē hoc nūc Paulus ait, quod omnib. hominibus nō fuerit reuelatū: adiecit enim quod in alijs generationib. nō est patefactū filijs hominū. Deinde & quod ad hunc modū ne prophetis quidē cognitum fuerit quæ ac nunc per res ipsas patefactū est & Apostolis,

A Apostolis, & noui Testamenti prophetis per spiritum sanctū. Nisi enim spiritus paracletus do- Act. 10.
cuisset Petrū, Cornelium qui ex gentibus erat, cū suis non suscepisset. Obserua autē quōd de cir-
cūcisione nihil, de gentibus uerō reuelationē faciat spiritus. res enim ardua erat & magna, gen-
tes execratas ad Euangeliū admitti. Veteres itaq; adeo exactē mysteriū hoc nō nouerūt, quan-
doquidem & Petrus, tantus Apostolus, hac de re spiritus sancti institutione indiguerit.

GENTES esse cohæredes, & concorporales, & cōparticipes promissionis eius in Christo
per Euangelium.] Hoc est mysteriū, gentes esse cohæredes promissionis Israeli factę, simulq; Exod. 16.
participes. Erant enim participes promissionis Israelitę, ceu gens sancta. fuerunt autē coniun-
cti ipsis, partemq; habuerunt cum ipsis, qui ex gentibus uenēre antea, immundi. At qua ratio-
ne in Christo, hoc est, per fidem in Christum, quæ per Euangelium ipsis obtigit. Nec satis fuit
Apostolo dicere cohæredes, simulq; participes: uerū ut indicet magnam propinquitatem
unionemq;, cōcorpores etiam dixit. Vnum enim corpus facti sunt ethnici cum Israelitis san-
ctis, uni capiti Christo agglutinatum, eoq; contentum.

CVIUS factus sum minister per donum gratiæ Dei, † quod datum est mihi secundum ope- † Basiliensis co-
dex habet d. o. b. a.
sc. u. quod da-
tū est, ut & cō-
plures legunt.
Alij habent d. o.
b. a. u. s. quæ da-
ta est, ut refe-
rat gratiam.
† h. u. s. quæ, uel
quod. n. a. Gre-
cis donum &
gratia sunt for-
minini gene-
ris.
1. Cor. 15.
rationem potentiæ eius.] Euangelij factus sum minister, & uinctus sum ipsius gratia, uerū
non meum opus est isthuc, sed donum est diuinæ gratiæ † quæ data est mihi, non simpliciter,
neque per parcē, sed potenter: & non uiliter neque parua ratione, ceterū largē & honorificē,
ac tanquam iam operetur potens Deus. Vel, quandoquidem donauit mihi Deus hocce mini-
sterium, largitus est pariter mihi potentiam. nam non satis fuisset autoritas, nisi adiecta esset
uirtus & potentia. Tria nanq; oportet nos adferre & contribuere ad ministerium, animam pe-
riculorum amantem, sapientiam & intellectum, uitamq; inculpatam: Deum autem uirtutē da-
re, per quam hæc omnia efficacia sint.

MIHI minimo omnium sanctorum data est gratia hæc.] Quia uerba factururus est de gratiæ
Dei amplitudine, uide quanta modestia de se ipse loquatur. Post enim tot à sese res strenuē
transactas, post tot tantasq; uirtutes, se ipsum minimum appellat, non apostolorum, sed om-
nium sanctorum, hoc est, fidelium. Hoc autem maius est, quod ad modestiæ rationem, illo: Nō
sum dignus uocari apostolus.

IN gentibus euangelizare imperuestigabiles diuitias Christi.] Qualis gratia data est mi-
hi? ut in gentibus prædicem Euangelium. alij enim circuncisioni, ipse uerō gentibus Euange-
lium annunciabat. Proinde gratia indigebat, cū minori maiora crederentur. Cum enim ipsi
iniunctū esset ut inferiores & peiores ad Christū conuerteret, per hoc ipsum magnus efficitur,

B qui paruus uidebatur. gratiæ igitur id opus est. Si autem imperuestigabiles sunt diuitiæ ipsius Rom. 12.
postquam nobis illuxit, quanto potius essentia eius est imperscrutabilis? Quomodo igitur Eu-
nomius se Christi naturam & essentiam comprehendisse iactabat?

ET illuminare omnes quæ sit dispensatio mysterij absconditi à seculis in Deo.] Quōd gen-
tes quidem uocandæ erant, nouerāt fortasse per spiritum cū prophetæ, tum angeli: quōd ue-
rō ad tanta bona, & ut Christus eas ad thronū Dei collocaret, quis quæso hoc expectasset? Eā
ob rem mysteriū hoc uocat in Deo absconditum ante seculū, hoc est, antea & à principio: nō
enim recens est hæc dispensatio, & ipsi soli cognita.

QVI omnia creauit per Iesum Christū.] Pulchrē creationis meminit. Qui omnia, inquit, cō-
didit per Christū (sine ipso enim factum est nihil, ut Ioannes inquit) & hoc per ipsum reuelat. Ioan. 1.

VT innotescat nūc principatus & potestates in cœlestibus per ecclesiam multiformis Matth. 11.
sapientia Dei.] Neq; superiores principatus & potestates, neq; inferiores norant mysterium
gloriæ gentium. Etenim angeli & archangeli hoc tantummodo cōpertum habebant, quōd Is-
rael esset pars Domini, adeoq; populus ipsius. Gabriel porrō hoc tantum norat, quōd seruatu-
rus esset populum suum à peccatis suis. Quōd autē & qui ex gentibus sunt, tantum honorem
consequerentur, nunc norunt & supernæ potentiæ, & infernæ, per ecclesiam, hoc est, per bene-
ficia quæ nobis sunt collata. beneficia enim quibus diuinitus perfusi sumus, doctores fuerunt
eis sapientiæ Dei. Non simpliciter autem uariam eam dicit, sed πολυποίκιλον, id est, multiformē
siue admodum uariam, omnibus artibus clarā, preciosam & incomprehensibilem intellectu,
uim eius intelligens. Gregorius autem Nyssæus, Ante incarnationem, inquit, simplicem norāt
cœlestes uirtutes sapientiam Dei, nempe quōd omnia sola sua uoluntate cōdiderit, deprehen-
debantq; eum esse potentem, quōdq; omnia conseruaret sapienti gubernatione: ac sapientem
curatorem qui prospiceret rebus, agnoscebant: nihilq; in his uarium est, hoc est, ut aliud quidē
esset, aliud uerō efficeret. Incarnato autē uerbo Dei, per cōtraria cōtraria sunt transacta, per mor-
tem uita, per imbecillitatem potentia, per contumeliam gloria: per omnia uilia & abiecta, Deo
digna & præclara. Hanc ad rationem multiformis multisq; nominibus eximia eius sapientia
nunc cognita est, & potentia Dei cœlestibus uirtutibus. Quando enim nos didicimus, tum &
illæ per nos agnouerunt, ac uidentes quantis bonis ecclesia sit donata, per ipsam etiam ad co-
gnitionem sunt perductæ.

SECUNDVM præfinitionem seculorum quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.] Iam
nunc quidem cognita est sapientia eorum quæ nobis obtigerunt, uerumenim uerō iam olim
antea erant prædestinata. Nam secundum præfinitionem, inquit, seculorum futurorum. No-
rat enim Deus quæ uentura essent, & sic definiuit atque decreuit. Quōd autem ait, Quam fe-
cit in

cit in Christo Iesu, intelligitur de sapientia siue dispensatione quã fecit pater per filium. Chry- C
sostomus autem (quæ) legens, quæ fecit, inquit, secula Deus per filium.

*Fides fiducia no
bis parit.* IN quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius.] Quod per Christũ
omnia facta sint, hinc est perspicuum, quod ipse est qui adducat nos. Atqui nõ ut captiui addu-
cti sumus, neq; quod peccauimus, sed libertatem habemus: neq; eam simplicem, sed cum confi-
dentia & fiducia & audacia. Vndenam hæc nobis bona? per fidem, inquit: hæc enim solutis pec-
catis libertatem nobis & fiduciam imposuit.

*Rom. 8.
Ioann. 3.* PROPTER hoc peto, ut nõ deficiatis in afflictionib. meis pro uobis, quæ est gloria uestra.]
Propter hoc, inquit, quale hoc? quod ingens sit mysteriũ uocationis uestræ, & quod magna mi-
hi credita sunt ut prædicẽ uobis, ac necesse est me uinctũ esse, & affligi ab ijs qui nõ intelligunt
mysteriũ hoc, sed ei cõtradunt: rogo uos ut ne deficiatis, hoc est, turbemini tumultu eminiue,
ceu res quæpiã factu indigna cõtigerit. in gloriam enim hoc uestrã potius cedit. Nam sic nobi-
scũ egit Deus, ut nedum filium suũ pro nobis daret, uerumetiam nos seruos suos, uestrẽ cõmo-
ditatis gratia in pericula & uincula cõijceret. Quod si meæ afflictiones, gloria uestra est, quan-
to potius per uestras glorificabimini? Quare neq; quando ipsi affligamini, deficiatis.

*¶ wæria, id est
paternitas, si-
ue parẽtela, fa-
milia, tribus,
gens.* HUIUS rei gratia flecto genua mea ad patrẽ Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis + pa-
ternitas in cœlo & in terra nominatur.] Postquã adeo dilecti estis, & incõprehensibilia sunt
bona quæ nacti estis & nanciscemini, Oro, inquit, ut detur uobis gratia commorantis in uobis
Christi, ut comprehendatis ea, sciatisq; quantũ dilecti sitis. Precationem autẽ uehementem &
ardentẽ cum cõpunctione significauit, cum dicit, Flecto genua mea. Ex superno autẽ patre om-
nis est, inquit, paternitas: super terrã quidem generationes & familias nominans *wæria*, à pa-
trum nomine sic appellatas. in cœlis autẽ, quia illic nemo ex quopiam nascitur, paternitates si-
ue familias, ipsos ordines & choros dicit: hoc est, cum superiores tum inferiores ipse familias
tribusq; fecit, & ab ipso sunt qui nominantur patres.

VT det uobis secundum diuitias gloriæ suæ, uirtute corroborari per spiritum suum in inte-
riori homine, ut habitet Christus per fidem in cordibus uestris: in charitate radicati, & funda-
ti.] Ecquid oro pro uobis? ut det uobis ceu diues & glorificari uolens, roborari ad tentationes,
ut ne turbemini ab hisce, ac transferamini aliõ. Porro nõ cõtentus dicere roborari, adie-
cit, In potentia. ex abundanti enim precatur eis bona. Quomodo autem corroborari? per spi-
ritum eius. ipse nanq; est qui robur præbet. Sicut & Esaias spiritum roboris dicit. Et non solũ
ut confortemini, uerumetiam quod maius est & abundantius, ut & Christus inhabitet interio-
rem hominem uestrum: hoc est, in cordibus uestris, non superficietenus, sed in profundo. Quã D

Esaiæ 11. nam ratione? Per fidem in cordibus fidelium habitat Christus, cum patre ueniens, & mansio-
nem in illis faciens, quemadmodum prædixit. Hæc autem adsequemini, radicati in dilectione
eius, si nec transferamini, nec turbemini. Duo itaq; eis diuinitus dari precatur, & cõfortari per
spiritum, & Christum cõmorari in cordibus ipsorum: uel ut confortemini, inquit, & idonei ef-
ficiamini ut Christus habitet in interiore homine uestro.

Suprà cap. 1. VT possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & pro-
funditas, & sublimitas.] Quod principio precatus est, ut detur eis spiritus sapientiæ, & intel-
lectus & reuelationis, ut sciant quæ sit spes uocationis, & id genus alia: idem & nunc ait, Ut
possitis, inquit, comprehendere cum omnibus fidelibus mysterium pro nobis dispensatum:
quod adeo magnũ est, ut quoquouersum & in omnes sit extensum partes. Vnde & corporali-
bus ipsum descripsit figuris, comprehendens cum superna, tum inferna atque transuersa. Dixi
quidem & ego de hisce, uerũ enim non possunt hæc per meos sermones satis commodẽ di-
sci, sed per spiritum sanctum: nec poteritis hæc comprehendere, nisi corroboremini per spiri-
tum. Est enim multo robore opus. ac nisi inhabitet in uobis Christus, nihil efficere poterimus.
*Gregorius Nyss
sæus.* Gregorius autẽ Nyssæus per latitudinem, longitudinem, profunditatem, & altitudinem, crucẽ
dicit intelligi. precari igitur Apostolum Ephelijs, ut possint comprehendere crucis mysteriũ.
Vniuersa enim dispensatio in hoc continetur, atque in hac ipsa omnium maximẽ tremendum
est crux, & qua charitas Dei maximẽ demonstratur, quemadmodum & Dominus dicit. Pro-
pterea & Paulus de dilectione infert.

SCIRE etiam supereminentẽ scientiæ charitatẽ Christi.] Ut possitis, inquit, cognoscere
charitatẽ Christi, antecellentẽ omni scientiæ. Quomodo cognoscemus nos? Primũ quidem
dicit hanc antecellere scientiæ, nimirum humanæ. Vos autẽ non per humanam quidem cogni-
tionem, sed per spiritũ cognoscetis hanc. Deinde neq; hoc dixit, Cognoscetis eam quanta sit:
sed hoc ipsum, quod magna sit, quippe quæ exuperet omnẽ scientiam & cognitionẽ. Hoc pre-
cor, inquit, ut uos à spiritu discatis. Ecquis hoc ignorat? omnes, & qui ægro animo accipiunt
quæ in singulos dies fiunt, & qui mammonam Deo præferunt. Nam si hanc cognosceremus,
haudquaquam aduersus prouidentiam murmuraremus, neq; rebus præsentibus animũ addi-
ceremus, à Deo deficientes qui sic nos dilexit. Obserua autem, si charitas excellit omnem co-
gnitionem, quanto magis ipsa essentia?

VT impleamini in omnem plenitudinem Dei.] Bisariam nonnulli hoc intellexerunt. Ut
sciatis, inquit, uel quod in patre, & filio, & spiritu sancto adoretur nobis Deus, hæc enim ple-
nitudò Dei est ipsa trinitas: uel ut sitis impleti, inquit, omni uirtute, qua plenus est Deus. Re-
ctius

Alius autem opinor sic intelligi, ut sitis perfecti in omni diuina perfectione, omnia diuina cognoscentes, quatenus licet.

EI autem qui potest super omnia facere ex abundanti super ea quæ petimus aut intelligimus, secundum potentiam quæ operatur in nobis, ipsi gloria in ecclesia in Christo Iesu, in omnes generationes seculi seculorum, Amen.] Ego quidem precor, inquit, & orationem meam ad Deum fundo: ipse autem & meis orationibus maiora efficiet. Potest enim non solum omnia quæ quisquam orat, sed super omnia facere supra & ex abundanti, hoc est, splendide & largiter. Duos autem hic excessus ponit, super omnia, & supra ex abundanti. Licet enim plura facere quam quæ petuntur, non tamen ex superabundanti excellentia, quod est largiter, & cum liberalitate. uerum Deus utraque potest, quemadmodum & iam etiam potuit, & operatus est in nobis magna & eximia, hostes suos, gentes, in filios adoptans. Proinde ex ijs quæ iam circa nos peracta sunt, perspicuum est quod dixi. Merito autem in Dei laudem sermonem concludit, glorificans benefactorem, simul ut & hac ratione ostendat, magnitudinem eorum quæ nobis obtigerunt. Non enim admiraretur, nisi talia dedisset, quæ ad miraculum & gloriam permoveant. Non simpliciter autem dixit, Ipsi gloria, sed per Iesum Christum. Reuera enim nemo potest ne glorificare quidem, nisi in Christi uirtute. ipse enim est qui ad laudem Dei nos amabiles reddit & acceptos, ac docet quomodo oporteat isthuc nos facere. In ecclesia autem est gloria Dei, ac rectè quidem: si quidem ipsa perseuerat assiduo, & portæ inferi non præualebunt aduersus ipsam. itaq; laus & præconium eius æternum. Matth. 16.

CAPVT IIII.

OBSEURO itaque uos ego uinctus in Domino, ut dignè ambuletis uocatione qua uocati estis.] Non oportet dominari præceptorem in discipulos, sed seruire eis pro salute ipsorum: propterea & Paulus tanquam seruus obsecrat. Proponit autem & uincula ad supplicationem. uinctus enim sum in Domino, hoc est, non ob prauum aliquod opus, sed propter Dominum. ueremini igitur uincula quæ Dei causa patior. Quid autem obsecro? non pro me ipso certè, sed pro uobis, ut ambuletis dignè uocatione. ad magna enim uocati estis, ut confideatis cum Christo, & cõregnetis, nec oportet uos deſcendere dignitatè ueſtrâ p opera Christo indigna. Ab instituendi autem ratione ad mores transijt, orationem ita suam dulcem faciens.

Præceptor discipulis seruiat.

CUM omni humilitate.] Quomodo dignè liceat uocatione ambulare, indicat, nempe si humilis & uilis in oculis sis tuis. Cogitabis enim in animo omnino, t̄qualis cum esses, quantis bonis sis donatus: ac demittes te, dabisq; operam ut sit tibi curæ benefactor, præsertim cum omnis uirtutis isthuc sit fundamentum. Propterea & Dñs beatitudines hinc orsus est, beatos eos prædicans qui sint pauperes spiritu, humiles uidelicet. Cum omni autem, inquit, humilitate, nõ ea solummodo quæ sit in uerbis, sed & quæ sit in operibus, & in habitu, & sonitu, locutioneq;: nec ea ratione, ut erga hunc te humilem exhibeas, erga illum uerò minime, sed siue paruus fuerit, siue magnus, tuam illis semper humilitatem & candorem ostendes.

† 7. & 8. quasi dicat, qualis existes, nempe infidelis, immunus, filius iræ, &c.

ET mansuetudine & longanimitate.] Potest enim aliquis esse humilis, & interim tamen concitatus & iracundus: at ea humilitas nihil prodest.

SUPPORTANTES inuicè in charitate.] Quæ sit mansuetudinis & longanimitatis commoditas, docet, nempe ut alter alterum toleret. Ne autem quis dicat, Quomodo sufferam proximum iracundum & iniuriam? modum subdit quo isthuc fieri possit, nempe per dilectionem. si enim charitatem habeamus, tolerabimus alter alterum.

SOLLICITI seruare unitatè spiritus in uinculo pacis.] Quemadmodum in corpore spiritus est, qui omnia continet & unit, etiam si diuersa fuerint membra: hunc ad modum in fidelibus spiritus sanctus est, qui unit & cõiungit omnes, etiam si diuersa habuerimus & genus, & mores, & studia, atq; per hunc sanctum spiritum unum corpus efficimur. Laboremus itaq; hanc unitatè conseruare per pacem, quæ est inter nos mutuò. Nisi enim connexio dilectionis inter nos fuerit, & paci mutua studuerimus, unitatè istam & coniunctionem amissimus, quam spiritus nobis dedit: quemadmodum si dissidium fiat inter manum aut pedem aduersum reliquum corpus, & abscindantur à coagmentatione & connexu ad reliqua membra, nõ porro deinceps ab uno spiritu continentur. Multa igitur sedulitate opus est, nec sine defatigatione ac labore poterimus pacem habere connectentes nos inter nos, ut quocunq; unus feratur, alter simul feratur. Si enim huiusmodi simus, connexi simus, nec alter alterum in seruitutè redigat uel proculcet: sub uno hoc pacto spiritu erimus.

VNVM corpus, & unus spiritus.] Non simpliciter charitatè inquit Paulus, sed eam quæ omnes unum corpus faciat, propter exactam & firmam inter nos mutuò coniunctionem & unionem, ut quemadmodum membra inter sese compatiuntur, & simul congaudeant, & unus spiritus. Pulchrè sanè hoc dixit, ostendens quòd si unum corpus sit, unus etiam spiritus erunt. Vel quòd possit quidem unum esse corpus, sed non unus spiritus, quemadmodum si quis hæreticorum amicus sit, dogmatibus eorum non consentiens. Vel quia unum spiritum per fidem accipientes, debetis esse concordēs. Vel spiritum, æqualem promptitudinem dicit, & conspirationem: perinde ac si diceret, unum corpus & una anima.

SICVT uocati estis in una spe uocationis uestræ.] Deus, inquit, ad eadem uos uocauit, omnibusq; uitam donauit, omniumq; ex æquo factus est caput, omnes simul excitauit secum;

Suprà 2.

Theophylact.

X 2

& cõd:

In caelis æqua-
les oīs sumus.

& confedere fecit, ac simpliciter eodem honore omnes adsumpsit, eadem etiam omnes speramus. Debetis igitur unum esse, secundum charitatis etiam coniunctionē. In caelis enim æquales sumus, etiam si in terra dissimiles fuerimus.

VNVS Dominus, una fides, unum baptisma.] Nunquid enim tu maiorem habes dominū, ille uerò minorem? nunquid tu ex fide, ille uerò ex operibus seruatus est? num tu ex baptis-
te liber factus es, ille uero non?

VNVS Deus & pater omnium qui super omnia, & per omnia, & in omnibus uobis.] Hoc est, qui supra omnia, & per omnia prouidentia & gubernatione comitat, & in omnibus uobis habitat. Obserua autem quòd hæretici præpositionem (per) tribuunt filio, (in) uerò spiritui, tanquam imminutionem adferat. Iam uerò utræque inuentæ sunt patri appositæ, non igitur imminutionis sunt.

¶ *argi*, uel *uiri*, id est, patri uel spiritui: scriptura enim dubia & anceps in litera mendia, quæ corrupta, utriusq; litteræ *p* & *u* uestigium habebat. rectius uideatur per *u*, ut de spiritu dicatur: ut refellat hæreticos, dicentes Per, filio, & In, spiritui, tanquā minoribus tribui. Ex uerò, patri, ut maiori.

VNICUIQUE autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.] Si omnia, ut dicis, sunt communia, unde ille & iste minus habent donum? hoc enim ipsos perinde ac Corinthios & alios plerisque ad inuidiam perduxit. Diluens igitur hoc, inquit: Vnicuique data est gratia & donum, quemadmodum partitus est qui dedit. Proinde quia donum est, sis omnino contentus eo quod accepisti. nunquid enim tanquam debitum tibi datum est? Et quoniam mensuram Deus præstinauit, ne sis curiosus. Deus enim mensuram distribuit, & omnino commodè id fecit. Necessaria igitur, & citra quæ non possis Christianus esse, communia sunt. Sin quisquam alius excellentius donum habeat, ne tibi isthuc doleat: quandoquidem & labor istius maior est, perinde ac in procurso dicit. Non dixit autem, iuxta mensuram cuiuslibet fidei, ut ne ad mœrorē conijciat eos quibus minora sunt collata charismata: cæterum uoluntati dantis mensuram acceptam retulit, eiusq; arbitratui reliquit, tanquam ne audeant quidem omnino hinc obstrepere uerbis quicquam.

PROPTER quod dicit: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, deditque dona hominibus.] Quòd dona ipse dederit, planum est ex eo quod propheta dicit, Dedit dona hominibus. Atqui propheta, Accepisti, inquit, dona: quod idem est. Nam qui hominibus dat charismata, ab ijs accipit ministerium: qui uerò charisma accipit, ut operetur & laboret, accipit. Quocirca precium est operæ, ne ociosi simus. In summitatem autem ascendit uel crucis, uel cæli per assumptionem, quod & potius est, uelut ex consequentibus liquet. Qualem autem captiuitatem dicit: diaboli: captiuam enim cepit diabolum & mortem, & maledictionem & peccatum, nosq; diabolo subiectos, commemoratisq; iam obnoxios.

QUOD autem ascendit, quid est, nisi quòd descenderit etiam primū in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est qui & ascendit supra omnes caelos, ut impletet omnia.] De humilitate hinc disputans Paulus, Christum producit exemplum, sicut in epistola quoque ad Philippenses, Quemadmodum, inquit, ille non recusauit descendere, sic & uos non fugiatis per humilitatem uos demittere & condescendere alijs siue obsecundare. Quòd enim descenderit, perspicuum est ex propheta, qui eum ascendisse adserit. De Deo enim cum dicitur quòd ascenderit, necessarium est primū descensum intelligere: de hominibus autem secus est. Quòd autem descendit: ad inferos. Hos enim, infimas terræ partes appellat iuxta communem opinionem & intellectum, quemadmodum & Iacob inquit, Deducetis canos meos cum dolore ad inferos. ac Dauid, Similis ero descendentibus in lacum. Descendit igitur ad infimas partes, post quas non est aliud quid: & ascendit supra omnia, ultra quæ non sunt alia. nec obstitit ei descensus, quo minus ascenderet. Et uos igitur si humiliemini atque demittamini, exaltabimini. Ob hanc enim causam hæc omnia efficit, ut omnia impleat dominatu, operationeque sua, idque in carne, quandoquidem diuinitate iam antea cuncta compleret. Hæc autem aduersus Paulum Samosatensem & Nestorium sunt. Qui enim descendit, planum est quòd cum in supernis esset, descenderit & incarnatus in terram, & mortuus ad inferos, idemque est & unus, non alius & alius.

ET ipse dedit.] Significanter autem dixit, Ipse. Qui enim adeo nostri curam gessit, ut & pro nobis non recusarit, ne ad infimas quidem terræ partes descendere, næ haud simpliciter distributiones donorum fecit, uerū planum est quòd sapiēs ipse comode distribuerit. Quid igitur doles tanquam non æqua & recta ratione distributio facta sit? Alio autem in loco spiritū dicit dispensare, In quo & uos posuit spiritus sanctus: & Omnia operatur unus & idem spiritus. Alias & patri hoc tribuit: ut, Posuit Deus in ecclesia primū quidem apostolos, & que sequuntur. & Ego plantauit, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Hic autem filium dispensatorem facit. una igitur trium est operatio.

QUOSDAM quidem apostolos, quoldā autē prophetas.] Primi sunt apostoli, quandoquidem & prophetias habebant: prophetæ autē in nouo Testamento apostolatū non habebant.

ALIOS uerò euāgelistas.] Vel eos qui conscripserūt euāgelia, uel qui nō undiq; circūierint,

ACT. 13. non omnia peragrauerint, Euāgelium tamen prædicantes, quales fuerunt Priscilla & Aquila. ALIOS autem pastores & doctores.] Eos quibus ecclesie erant comissæ intelligit, episcopos, quales erant Timotheus, Titus, & alij huiusmodi. Poteris autē per pastores presbyteros & episcopos intelligere: per doctores uerò, ipsos etiam diaconos, adeoq; ministros. Etenim & illi ordinem habentes expurgandi, per uerbum omnino sordes tollunt.

AD CON.

A AD consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.] Vides dignitatem? Vnusquisque, inquit, perficit, consummat, unusquisque ministrat ad extructionem corporis Christi, siue ecclesiæ. Quid itaque ægrè fers ceu minus donum acceperis? Nam & tu ad consummationem sanctorum, hoc est, ad comoditatem fidelium & perfectionem comodas. Caue igitur ne accepto dono ut alios ædifices, te ipsum, cum maioribus inuides, subvertas. Præterea si ad consummationem fidelium alius accepit maius donum, cogita quod & maiori ideo labore ac ministerio defatigetur: unde & maior negligentem in suo charismate culpa manet. Porro autem qui non ex Satana letale isthuc uirus profluat, eaque affectio uirulenta prodeat, inuidere te consummanti, & ædificanti corpus Christi? Est enim isthuc hominis planè Deo reluctantis.

DONEC occurramus omnes in unitate fidei, & agnitionis filij Dei.] Eousque, inquit, operari oportet omnes qui dona acceperunt, & ædificare & laborare, donec peruenerimus ad unitatem fidei: hoc est, usque dum demonstrerur omnes unam & eandem fidem habere, neque dogmatibus differre, neque quo ad uitam sectis quibusdam inter nos dissidere. Tum enim uera est fidei unitas & unio, tum agnoscimus filium Dei, quando & in doctrina rectam sententiam habuerimus, & charitatis uinculum seruauerimus. Charitas enim Christus est.

IN uirum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi.] Virum perfectum & mensuram ætatis, perfectioris dogmatum cognitionem dicit: quem admodum & plenitudinem Christi, omnimodam atque integram ipsius cognitionem & fidem, quod unus ex trinitate cum esset, & æqualis patri, factus sit homo, una persona in duabus naturis & uoluntatibus & operationibus, & cum corpore patri adfideret, uenietque cum ipso, & quæcumque alia de ipso rectè intelliguntur ac dicuntur. Quomodo igitur alias imperfectam dicit cognitionem nostram? Rectè profectò, ut opponatur futuræ post fata nostra cognitioni. hic uerò cognitionem perfectam dicit eius respectu, quod facile sit mortalibus, à recto statu atque adeo à uirtute excidere. Quando enim à Christo non exciderimus, tum perfecti sumus, ut ex sequentibus liquet.

Christi plenitudo.

1. Cor. 13.

UT iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni uento doctrinæ.] Ut ipsam exiguam, inquit, mensuram quam accepimus, contineamus firmiter & solidè, & non infantium instar concutiamur & circumagamur abs quouis doctore. Ad hoc enim data sunt charismata, ut ædificent atque consumment, ut ne concutiat ipsa structura. Cum uerò ait, iam non, siue non amplius, indicauit & olim eos id esse passos. Seipsum autem etiam connumerat, ne uelut obijciens & conuicia dicens, sed cum hilaritate corrigat. At cum ait fluctuantes, ostendit quali periculo sint ad ueram religionem perductæ animæ. In tropro autem perseverans, uentos etiam

B uocauit diuersas doctrinas, minimeque consentientes.

IN nequitia hominum, in astutia, ad circumuentionem erroris.] *λυβωρύα*, id est lufores, dicuntur, qui talis utuntur. huiusmodi sunt uani doctores, transponentes simpliciores, ceu talos, prout uoluerint. Ne igitur, inquit, circumferamur *ἰν ὑβωρύα*, id est, in nequitia, siue uersutia hac. quomodo? in astutia, ad circumuentionem imposturæ, hoc est, ad quodcumque deceptrix eorum circumuentione uoluerit, ad hoc transpositi & circumacti. Ob nihil enim aliud uel omnia fallaciter conantur, & arte quadam machinantur, quam ut seducant. Pulchrè autem apposuit, hominum. res enim diuinæ uersutiam ac deceptionem non admittunt.

VERITATEM autem sectantes in charitate, crescimus in ipsum per omnia, qui est caput Christus.] Fraudulenti enim & in uerbis uersuti, omnes notha & falsa loquuntur, neque quicquam in ipsis est uel sanum uel stabile. Nos autem ueritati studentes in dilectione erga Deum & proximum, neque uana dogmata habentes, neque in hypocrisis uiuentes (hic enim uiderur & de uita ipsis disputare) crescimus in Christum per omnia nostra, uitam nimirum & doctrinam. Ipsi enim, qui caput est, debemus adaptare nostra, ut nihil non respondens & inconueniens capiti feramus, sed omnia augeamus ad ipsum.

EX quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam subministratio- nis secundum operationem in mensura uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit ad ædificationem suipsius in charitate.] Sententia huius loci talis est, etiamsi obscure dictus sit: Quæ admodum in corpore spiritus, qui è cerebro descendit per neruos, non simpliciter dat omnibus membris sensum, sed secundum proportionem cuique, ei quidem quod plura recipere potest, plura: quod uerò minus, minus: sic & Christus in animas nostras quæ sunt membra ipsius, facit suppeditationem charismatum suorum. Non simpliciter, sed pro mensura cuiuslibet membri, hoc est, perinde ut potest capere quodlibet, hacque ratione totum corpus ædificationem & augmentum suipsius facit in dilectione. Aliter enim non licet recipere suppeditationem descendens desuper spiritus, à quo & uiuificamur & crescimus, nisi per dilectionem conexi fuerimus, & uniti ceu unitum corpus. Ut enim manus si à corpore auulsa fuerit, non porro receperit sensibilem spiritum, tanquam à continuitate diducta: sic & nos nisi uniti fuerimus, non recipiemus à capite nostro Christo descendentem spiritum gratiam. Propterea dixit quod corpus etiam compactum & connexum, hoc est, non è simpliciter positis membris, uerumetiã coniunctis, & unoquoque proprium locum habente, ut nullum luxatum sit, neque præter formam collocatum. In nobis igitur est, nos ipsos construere & coagmentare per dilectionem: Christi uerò capitis nostri, spiritum adlegare. Totus igitur hic sermo & uniuersum argumentum est de humilitate, & unitate seu coniunctione. Quod uerò ait, Per omnem iuncturam subministratio-

Comparatio philosophica.

Theophylact.

X 3

denunciat

denunciat hoc, quòd spiritus à capite aduectus & suppedtatus omnia contingat. Corpus igitur crescit & ædificatur per hoc quòd spiritus suppedtatio membra contingat, atq; in eis operetur. hoc enim est quod per operationem membris spiritum communicat.

*Præceptor etiã
terreat.*

HOC igitur dico & testificor in Dño, ut iam non ambuletis sicut & reliquæ gentes ambulat in uanitate sensus sui. Præceptoris est nõ solùm adhortari, uerumetiã terrere, per hoc quòd Deus discipulis etiã adstet atq; præsit, æquè ac diuus hic Paulus agit. Testor enim, inquit, uobis in Domino, hoc est testem Dominum facio, quòd non occultarim uobis ea quæ dicenda fuerint. Ne porrò uos ambuletis quemadmodum ambulatis, ut ne iritet eos, uerùm reliquarum gentium instar inquit, illarum exemplo illos castigans & erudiens. In uanitate porrò mentis circumambulabant, ut qui idola colebant, & qui affectibus suis inferuiebãt, & qui mundi uanitatibus adfixi erant. Quæ ideo uanitas dicuntur, quòd nos illis uanè utamur. non enim è sui natura uana sunt: ualde nanq; pulchrè sunt condita.

*Veritas, ratio
nis lumen.*

TENEBRIS obscuratù habentes intellectum, ab alienati à uita Dei. Lumen quidem lucebat diuinæ cognitionis, puræq; uitæ: ipsi aut obtenebrarunt seipfos, imbecillum facientes animæ uisum & perspicuitatè per caliginem affectuũ mundanarumq; curarum. Reuma enim multum & difficulter curabile, sunt affectus & sollicitudines mundi turbantes mentem. Propterea & à uita Dei, id est diuina, quæ secundum Deum est, ab alienati sunt sic se habentes. Rationalis autem hominis uita est, ueritatem intelligere. Ad hanc qui excæcatus est, haud iniuriã non dicitur uiuere, eo quòd ueritas sit substantia & lumen rationis.

PROPTER ignorantiam quæ est in ipsis propter cæcitatem cordis ipsorum. Si igitur ignorant, quid eos accusas? Ignorans enim docendus est, non accusandus. Atqui ignorantia, inquit, propter cæcitatem eis accessit, siue propter stupiditatem. stupiditas autem & sensuum ueluti carentia, est ex affectu & propensione ad impuram uitam. Proinde digni sunt qui accusentur, reprehendanturq;. Audi enim & quæ sequuntur.

*† ἀσπυγία ἔσθ',
desperates, fo-
cordia detenti,
dolore & sen-
su sui mali ca-
rētes, ante quo-
rũ oculos non
est timor Dei.*

Rom. 1.

*Tradere Dei,
permittere est.*

QVI desperantes, seipfos tradiderunt impudicitæ, in operationem immunditiæ omnia cum auiditate. Viden' ex uoluntate atque proposito hanc eis stupiditatem esse? Desperantes enim, inquit, hoc est segnes facti, nolentes laborare ut inueniant bonum, omni dolore tantum non uacantes, ac ueluti ad stultitiam redacti, se ipsi tradiderunt impudicitæ, ut quid faciant? ut designent impuritatem. hanc enim exercitij continuiq; operis loco posuerunt, nec unam quidem eius speciem, sed omnigenam. Qui igitur non in summuũ stuporem uenturi erant, qui seipfos omni immundiciæ tradiderunt? Etenim immunda uita, dogmatum quoq; prauorum causa est, & omnis boni ignorantiam parit. Quando igitur alio in loco audieris quòd Deus tradiderit eos in reprobam mentem, reminiscere etiam huius loci, atq; compingens utrunque, intellige quòd Deus dicatur tradere eos qui seipfos tradunt, hoc est permittere, nec non concedere, quando quidem se dignos hoc permisso fecerunt. Ad hæc cum dicit, Cum auiditate, uoluntariam eis stupiditatem & inscitiam adesse testatur. Licuisset enim eis & pecunijs & uoluptatibus moderatè frui: illi uerò intemperantia electa, in omnibus ad cæcitatem uenerunt, & insensibilitatem, siue inscientiam cuiusuis boni.

Peccatum uanitas est.

VOS autem non ita didicistis Christuũ, si quidem ipsum audiulistis, & in ipso docti estis, sicut est ueritas in Iesu, deponere uos secundum priorem conuersationè ueterem hominè. Gentes quidem sic se habent, uos autem non sic didicistis Christum, si quidem audiulistis Christum, & in ipso instituti estis: hoc est, quando quidem didicistis Christum. Non enim dubitans, cæteru admodum firmatus atq; certus hæc dicit. Nam & hoc est discere Christum, rectè uiuere: perinde ac qui sceleratè uiuit, Christum ignorat. Deum enim, inquit, confitentur se nosse, factis autem negant. Quod autem ait, Sicut est ueritas, sic intelliges, quòd non sicut gentes in uanitate circumambulant, sic & uos ad eadem uana estis compositi atque comparati. Quæ enim Christi sunt, tum dogmata, tum uita, non sunt uanitas, sed ueritas. Peccatum autem est uanitas & mendacium, ut quod substantia & subiecto careat, nec habeat perfectionem. Virtus autè ueritas est, ut quæ subsistat, & perfectionem finemq; habeat. Quid autem docti estis? & quid ueritas secundum Christum? Nimirum ut abijciamus ueterem hominè, hoc est, prioris uitæ cõuersationisq; nostræ mores, adeoq; præcedentem uiuendi rationem peccatis obnoxiam.

Psal. 145.

QVI corrumpitur secundum desideria erroris. Bifariam hoc intelliges, uel quòd æquè ut cupiditates corrumpuntur, sic & ipse homo, hoc est, ratiocinatio & cogitatio corrumpitur. Quomodo autem cupiditates corrumpuntur? Etenim & morbo & senio pulchritudo marcescit, ac robur uirile consimilem ad modum, ac morte tandem simpliciter omnia tolluntur, dissolunturq;. In illa enim die peribunt omnes cogitationes & studia eius. Vel secundum concupiscentias dixit, pro, à concupiscentijs. etenim ab his corrumpitur uetus noster homo, quemadmodum lana & ferrum ab ijs quæ generant, ab ipsis etiã corrumpuntur. Nam & gloriæ amor perdit, quo ad animam omnino, nonnunquam etiam quo ad corpus: ac uoluptates similiter. Bellè autem errorem siue deceptionem, uoluptatem ex hisce promanantem. Fucus enim est, & mendacium, uoluptatis quidem speciem & figuram habens, cum re ipsa nihil sit, quàm amarulentia. Hæc enim est deceptio, aliud uideri, aliud uerò esse.

RENOVAMINI spiritu mentis uestre. Vt ne quis existimet aliam introduci hominem, ait.

A ait, Renouamini: hoc est, ipsum quod consenuit, resuscitate, & aliud facite. Proinde subiectum quidem idem est, permutatio autem est morum & mentis. At qui fiat ista renouatio? per spiritum sanctum, qui habitat in mente uestra. Spiritus enim non sustinet priora & uetera opera. Porro quod ait, est huiusmodi: Renouamini spirituali renouatione in mente uestra, sed non corporali, & in corpore facta.

BT induite nouum hominem.] Viden' subiectum idem esse, quod exuitur & induitur. Indumenta autem uaria necnon diuersa sunt, utpote uirtus & uitium. Ut enim exui & indui, facile est: sic & uitium & uirtus, facilia sunt, si uelimus. Quis uero hominem appellat uitium, & eundem uirtutem? quoniam ex operibus non minus figuratur & notatur homo, quam ex natura. hæc enim indicat hominem, siue bonus siue malus sit. Nouus igitur homo est qui ex baptisinate nouatus est, q̄ & fortis debet esse, citra rugas, & sanus: hæc enim omnia sunt & iuuenis & noui.

QVI secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis.] Ille, inquit, homo creatus est non secundum cupiditates, sed secundum Deum, hoc est, à Deo est creatura talis quæ Deo placet, in baptisinate, non ex aqua & terra, sed in iustitia & sanctitate. hæc enim huiusce hominis sunt substantia. Iustitia igitur uirtus est uniuersalis, quemadmodum etiam solemus iustum appellare, qui inculpata uitæ est. Quinetiam Dominus, Nisi, inquit, abundauerit iustitia uestra plus quam Phariseorū. omnem enim uirtutem hic dicit. Sanctitas autem, puritas est, atq; ad eum implere omne debitum. Quemadmodum & in uita defunctis dicimus † iusta uel sancta, quando quis quæ debentur ei, perfecit: & *ἀποκαθάρω*, hoc est expiationem feci. Quia uero & in ueteri Testamento iustitia dicebatur, illam huius fuisse figuram affirmat. Ego, inquit, tibi de ueritatis & euangelij iustitia loquor. uel respectu & collatione iustitiæ quæ est per speciem & simulationem, iustitiam hanc dixit, quæ ueritatis est. Creatus est igitur homo iste in baptisinate per iustitiā & sanctitatē. Induite autem ipsam & nunc per uitam & opera. Quando autem audiueris induere, ut nunquam deponat intellige, ut in eo loco: Induit maledictionem, tanquam pallium. & Amictus lumine. Consueuimus etiam dicere, Hic illum induit.

PROPTEREA deposito mendacio, loquimini ueritatem unusquisq; cū proximo suo, quoniam sumus inuicem membra.] Cum generatim ueteris hominis mentionem fecisset, deinceps & speciatim per partes eum describit, ac primò mendacium refecat, quod est alterius erga alterum: causasq; adducit, quod proximi inter nos simus, & quod maius est, maioremq; nobis pudorē suffundit, quod alter alterius membra simus. perinde quasi hoc dicat: Nūquid oculus uident uenenatum animal, mentitur aduersus pedem nec coniecit eum in fugam? Sic cum profunda fossa sub culmis ac terra abdita fuerit quam pes explorarit, nunquid mentitur & simulat pes, neq; oculo denunciat, ut alio in loco conspiciat atq; inueniat transitum? Ac simpliciter in omnibus idem inuenies. Hunc ad modum & nos non mentiamur neq; fallamus alter alterum. membra enim sumus unius corporis.

IRASCIMINI & ne peccetis.] Mendacium primū uetuit, & quia sæpenumero ex mendacio ira gignitur, ait, bonum quidem fuisset omnino non irasci. Postquam autem contigit, ad peccatum tamen ne præcipitari uelitis ex immoderata iræ usurpatione. Nonnulli asseuerant unam esse iram quæ non peccet, ut quæ sit aduersum dæmones, & prauos animi motus, quam explicat hic nobis diuus apostolus.

SOL non occidat super iracundiam uestram.] Ne perseueret apud te diutius æquo iracundiæ affectus, ne sol nobis hostibus relictis & nondum reconciliatis abeat, ne quando uideatur indignis uobis præbuisse lumen: simul etiam, ne quo modo nox uehementius accendat ignem per tristiores cogitationes, insidiasq; paret.

NE detis locum diabolo.] Inter se mutuo pugnare, istud est locum dare diabolo. Tantisper enim dum unitate coniuncti fuerimus atq; condensati, nihil suorum aduersum nos introducit Satanas, ceu non inueniens locum. At quamprimū animaduertit dissensionem inter nos, tum ceu inuento loco, caput suum subintroiecit serpentis instar, ac deinceps omnem reliqui corporis tractum contrahit secum.

QVI furabatur, iam non furetur.] Animaduertis membra ueteris hominis mendaciū puta, uindictæ cupiditatē, furtum. Non dixit autem, Puniatur qui furtū cōmittit: sed, A malo desistat. punire nāq; est fori iudicarij: dehortari autem à uitijs, Christi doctrinæ est. Vbi sunt autem qui dicuntur *ναδάγοι*, id est puri, cum reuera omni sordium genere sint referti, pœnitentiā auferentes? Audiant enim quod liceat exuere noxam, nedum quod à peccato desistant, uerum quod boni etiam quicquam operentur. Audi enim quod sequitur:

MAGIS autem labore operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.] Non enim satis est à peccato quiescere, sed contraria ei uia est ad eunda, diuersum ab eo conficiendū iter. Antea operabatur malum, iam nunc operetur bonū: neq; id simpliciter, uerum cū labore, partim quidē ut conterat corpus quod antea ex torpore mala didicerat: partim uerò ut largiores habeat uitæ mores, & facultates. Ac impertiat etiā alijs, ubi antehac aliena sublegerat, iam alijs beneficentiam exhibeat. Deus bonè, ut euangelium eos facit angelos, qui ferè dæmones fuerant?

OMNIS sermo † malus ex ore uestro non procedat.] Sermonem malum, ociosum appellat, temerarium, importunumq;, ueluti facetias, stultiloquium. Cæterum *σαργός* spurcus, & putris, turpis.

Matth. 10.

† *ὁ δὲ σοφὸς*, id est, iusta funebria.

ἀποκαθάρω proprie est aliquid facere causa soluendi animi religioe. *Eudæm.*

Psal. 108.

Psal. 103.

Zach. 8.

Psal. 4.

Ira sine peccato.

† *σαργός* spurcus, malus, uitiōsus, putris, turpis.

X 4 siue

siue graecolens potius est, turpiloquium, conuicium, obrectatio. Non enim rerum & operum tantummodo, uerum etiam uerborum luemus penas.

S E D si quis bonus est ad aedificationem necessitatis, ut det gratiam audientibus. Id est, si sermo aedificat proximum, qui tibi necessarius est, ob instantem necessitatem, illum, inquit, sonemus, illum loquamur, non importunè & incommode, ut gratias nobis agant auditores. Nam si animam comodans quicquam dixerimus, agent nobis gratias auditores, ut qui per nos adiuti sint: uel ut inquit eos gratiosos & amabiles reddat sermo. Ut enim unguentum gratiam addit assumentibus, sic & sermo diuinus & animam utilis. Obserua quomodo quod semper Paulus adhortatur, id etiã iam nunc nos oret, ut aedificemus proximum, quod est, nos ipsos. Qui enim alteri consulit quae salutaria sunt animo, multo iam prius & potius sibi ipse isthuc facit.

*Prouer. 15.
Ecc. 1.
Verbum Dei.*

N O L I T E contristare spiritum sanctum Dei. Si proferas uerbum spurcum & Christiano ore indignum, non hominem contristasti, sed spiritum Dei, a quo beneficium accepisti, a quo sanctificatum est os tuum. Infert igitur quã in re beneficium acceperimus.

I N quo signati estis in diem redemptionis. Is enim signauit nos, atque imperatorij gregis ostendit esse, is non permisit nos statui cum obnoxijis irae Dei: sed signauit nos & segregauit, ut simus redempti ab eadem. Non pudet igitur nos illum ipsum contristare? Signatum est os tuum a spiritu, ut nihil indignum ipso loquaris: ne dissoluas igitur sigillum.

† tumor, tumor, ferocia, animi cõicitati impetus.

O M N I S amarulentia, & tumor, & ira, & clamor, & blasphemia, tollatur a uobis cum omni malitia. Sustulit & per supra commemorata sanè iram, nunc autem stirpitus eam euellit. amarulentia enim, & tumoris & irae radix est. Cum enim succus amarus exasperatus fuerit nimium, excedit quo continetur uasculum, folliculum uidelicet, perque totum corpus funditur, ac hominem planè efferat. Amarulentia igitur est occulta inflammatio, dolus, praua suspicio ad malefaciendum preparata. tumor autem irae est principium, ueluti accensio quaedam. Ira autem est, quae iam ad opus etiam patrandum turget. Quia uerò ira nisi habuerit clamorem simul inflammantem ipsam, facile extinguitur, adijcit quòd clamor etiam tollatur, hoc est, sopiatur, obscuretur, ut nullae adeo reliquiae maneant. Equus enim est uociferatio, ascensor autem ira. impedi equum, & subuertisti ascensorem. Tolle etiã blasphemiam, siue conuicium quod nascitur ex ira. Accendit autem eam uehementius per uociferationem. Quia uerò plerique sunt qui clanculum mordeant, nihil quidem palam dicentes, mordentes autem clanculum, obscuram & reconditam malitiam subseruant, propterea adijcit, Cum omnia malitia, hoc est, & modica & magna.

Clamor, equus est uehiculum irae, tanquam ascensoris.

E S T O T E autem inuicem comes, misericordes, condonantes uobis ipsis. Quia non satis est a malis abstinere ut regnum assequaris, sed bonorum operum peractio etiã est necessaria (si enim bonum operari praetermiserimus, in gehennam praecipitatur, etiam si malum non operemur, ut ex multis Euangelij locis liquet) hanc ob rem Paulus sublatis malis, ad bonorum operationem adhortatur. Estote, inquit, comes, ad oppositionem irae: misericordes, ut opponat amarulentiam: donantes uobis ipsis, hoc est ad ueniam inclinati: & peccantibus dimittentes, ut opponat malitiam & blasphemiam.

Matth. 25.

S I C U T & Deus donauit nobis in Christo Iesu. Quia tristiora exempla erant, Deum exempli uice producit. Potuisset quidem dicere, Deus dixit, Dimittite, & dimittetur uobis: ueruntamen quia de futuris rebus plerique dubitant, quae iam antè transacta sunt, in medium promittit. Deus, inquit, donauit nobis. quomodo? in Christo, hoc est, cum periculo filij sui, macerationeque eius. Tu fortasse citra periculum donas, ille uerò non sic: ac tu quidem fratri tuo, ille uerò tibi, cum hostis esses, remisit ac donauit. Obserua autem quomodo pro eo quod diceret, donantes alter alteri, dixerit, uobis ipsis, ostendens per hoc, quòd si alijs alij donemus, nobis ipsis quisque pro sese gratiam & beneficium impendimus.

Luc. 6.

C A P U T V.

E S T O T E ergo imitatores Dei, sicut filij dilecti. Quemadmodum Dominus te dilexit, sic tu dilige fratrem, tum imitatus es Deum pro uiribus. Non licet enim hic paupertatem culpae, ac dicere, Si remisero, damnum patior. Remitte impingenti atque peccanti gratis, ac citra damnum, & lucratus es magnum thesaurum, nempe quòd Deum imitatus es. Deinde & aliam causam praecleariorem ponit. Sicut filij, inquit, dilecti: hoc est, & aliam necessitatem habetis, imitandi nimirum patrem uestrum. Postquam enim non omnes liberi imitantur patrem, apposuit, dilecti: tales enim patrem imitantur.

Matth. 18.

† Haec dilectioes, pro nobis, habentur apud Chryf. & alios: ideo negligentia scribae uidentur omiffa in codice Basil.

E T ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos & tradidit seipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem bonae fragrantiae. En omnium fundamentum charitas. Vbi enim haec est, non clamor, non ira non blasphemia, sed omnia sublata sunt: propterea postremo summam hanc posuit. Docet autem & unde facti simus liberi, ex charitate uidelicet, quare hanc uendicare debemus, tanquam eam quae nobis praebet filiorum adoptionem. Quemadmodum enim aegrotantes si adiuuemur pharmaco quopiam ipsum etiã pharmaci nomen ueneramur: sic & charitatem amplecti debemus. per hanc enim tradidit seipsum pro nobis Dominus. Atqui ille pro inimicis quidem tradidit seipsum, tu uerò amicis parces. Quare tum uerè imitaberis Christum, quando hostibus benefeceris, atqui tum seruator quod ait Apostolus, Sicut & Christus. Et pro hostibus mori, istud est hostia, & odor bonae fragrantiae. Hoc enim & Christus factus est moriens pro nobis hostibus. Atque hoc est imitari Deum.

FORNICATIO

A FORNICATIO autē, & omnis immunditia, aut [†] avaritia, nec nominetur apud uos, sicut decet sanctos.] Cum dixisset de amaro motu animi concitati, uenit ad minus malum, concupiscentiam uidelicet: quemadmodū & legislator cū dixisset, Non occides, quod est animi concitati: secundo subiunxit, Non cōmittes adulteriū, quod est concupiscentiæ. Vt enim amarulentia, uociferatio, & blasphemia, animi sunt concitati & efferuescentis: sic cōcupiscentiæ sunt fornicatio, & impuritas, & auaritas siue immoderata cupiditas. pari nanq; ratione pecunias amamus, & corpora. Ne nominentur igitur apud uos huiusmodi, sed toti sitis puri. uerba enim ad opera uia præbēt. Itaq; si sancti estis, & lingua uestra sancta sit. Infert autem & deinceps.

[†] *πλεονεξία*, plus habendi cupiditas, immoderata concupiscentia, ut non solum ad pecunias, sed etiā ad corpora extendi queat.
Exod. 20.

TURPITUDO & stultiloquium, aut facetiæ, quæ non sunt decencia, sed magis gratiarum actio.] Quemadmodum clamorem remouit, qui est iræ uehiculum: sic nunc turpiloquentiā & facetias, fornicationis uehiculum rejicit. Ne dicas enim urbana, neq; turpia: quod si feceris, extinxisti flammā fornicationis. Deinde ne uideatur nimium seuerus & morosus, quippe qui urbanitatē excindat, causam intulit, inquit: Quæ non conueniunt, non decet, hoc est, quæ non sunt Christianorum. Vt enim coriario non licet quicquam facere eorum quæ nō sunt suæ artis, hanc ad rationem Christianus sanctus factus, non debet loqui quæ minimè deceant aut conueniant ad sanctificationem. quæ enim nulli sunt usui, nihil ad nos. Sed si quid loqui uelis, gratiarum actio sit tibi quoduis uerbum: ac si consueueris gratias agere, recordaberis ex quali homine quantus sis factus, & lugebis mala tua, admiraberisq; ad stuporem usque eum, qui tantis te dignatus sit bonis, nec tibi uacabit aliud quiddam dicere. non enim risus facetiarumq; præfens tempus est, sed ludus & certaminis. Hostis circuit dentibus frendens aduersus te, ac tu ludis, & urbanitatem exeres? Quod si difficile sit superiorem te hoste fore etiam si acriter certes, quanto magis si ludas? Quid autē est facetus? facilis, qui omnia fit, facile permittans sermones: hoc autem est inconsistentis mentis, & alienæ ab ijs qui petra seruiunt.

Christianum nō decencia.

1. Pet. 5.

HOC enim [†] sciatis, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, qui est idolorum cultor, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo uos seducat inanibus uerbis.] Fuerunt nonnulli, ut uidetur, qui dicerent apud Ephesios, quod Deus hæc leuia prohibuerit, ut perterrefaceret. Quid enim adeo absurdum est, dicere, Stulte, ut propterea quispiam gehennæ obnoxius fiat? & quomodo avarus est idololatra? Hos itaq; notat hoc loco Paulus, quod & illatio indicat, Nemo uos seducat inanibus uerbis. Inania enim uerba sunt, quæ gratiā temporariā habent, ad opera uerò, inutilia demonstrantur: estq; impostura huiusmodi uerba facere. Quod autē avarus sit idololatra, discit ex uerbis Christi, Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Deficit itaq; à Deo avarus & inseruit auro: quī igitur non fuerit idolorum cultor? Porro si dicat, Non erexi idola: quid tum postea? non enim qui inter gentiles urbaniores erant, se idola adorare fatebātur, sed Venerem fortasse, aut Martem: ista autē animorum sunt affectus. At non avarus occidit & mactat oues: si non oues, homines tamen mactat, & animas rationales. Gentiles, Dei creaturas adorabant: avarus autē, suum ipsius signētum adorat. Neq; enim Deus avaritiam condidit, sed nostra insatiabilitas. Opinor autem Paulum à Dauide hoc dicere, alio tamen modo. Illo enim asseuerante, Simulacra gentiū, argentum & aurum: ipse pro sua magna sapientiā inuertit, Argentum, inquit, & aurum sunt idola. Proinde qui colit argentum & aurum, est idolorum cultor.

[†] *ἰδωλολάτρης*, id est, sitis uel estis cognoſcentes. Chrysolto. habet, *ἰδωλολάτρης*, id est, scitis uel sciatis cognoſcentes: ut sit congeminatione ad epirasin, ut legit ecclesia.

Psal. 113.

PROPTER hæc enim uenit ira Dei in filios inobedienciæ.] Vel propter fornicationem & impuritatem, uel propter idolorum culturam, uel propter huiusmodi deceptorum sermones. Inobedienciæ autem filios, ualde inobedientes, à Deo deficientes, ac tradentes huiusmodi dogmata.

NOLITE ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.] At uos, inquit, ne cōmunicetis eis. Deinde uetera ac priora eis ad memoriam scelera reuocat. Cogitate, inquit, quid eratis, & quid facti sitis, quod à tenebris lumen facti sitis. Primum quidē doctrine nomine adeoq; uitæ, tenebræ re ipsa eratis: nunc uerò lumen estis, ut qui Deum agnoueritis, operaq; lucis faciatis. Hoc autē contigit uobis non à uestra uirtute, sed in Domino, hoc est, per diuinam gratiam. Non debetis igitur filijs inobedienciæ & incredulitatis communicare, in quos uenit ira. Quondam enim eratis tales, digniq; ira, nunc autem nō porro, ne igitur rursus curratis ad tenebras.

UT filij lucis ambulate.] Hoc est, decorē, & quemadmodū decet eum qui in lumine ambulat. Quin potius alijs etiam nos lumen esse iubet. luminis enim filius, omnino & ipse lumē est.

Matth. 5.

FRUCTVS enim [†] spiritus in omni bonitate & iustitia & ueritate.] Veluti interpretatur nobis quid sit filius lucis, inquit, Qui fructū spiritus habet. Ipse enim spiritus fructū profert, non illa quæ prædiximus, uerūm contraria potius. Bonitatē, quæ amarulentæ & iræ opponitur: ac ueritatem, quæ pugnat cum falsa impuritatis uoluptate. Omnem autem bonitatem dicit, quæ erga omnes est, nedum amicos, sed magis erga hostes.

[†] *πνεύματος*, id est, spiritus. sic & Chrysolomus. alij habent *uirtutis*, id est, lucis, ut Robertus Stephanus ad marginem indicat.
Lucis filius.

PROBANTES quid sit beneplacitum Domino.] Probare, perfectorū est, qui iudicare possunt. Imperfectæ itaq; ac reprobræ cogitationis ac mentis est, non eligere neq; uelle quæ Deo placeant, quales sunt supra commemorati affectus.

ET ne comunicetis operibus infructuosis tenebrarum, magis autem & redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est etiam dicere.] Infrugifera sunt tenebrarum & peccati opera:

opera: nihil enim fructus ferunt, præter mortem & ignominiam. Non oportet igitur commu-
 nicare talibus operibus, sed arguere potius talia agentes, & erudire. Quomodo igitur alio in
 loco dicit, Ne iudicetis, pro eo quod est, ne condēnetis: Aliud est autem arguere, & aliud con-
 demnare. Arguere enim ad emendationem pertinet: condemnare uerò ad conuicium & diffamationem. Præterea Non iudicate, de minimis peccatis dicit. Infert itaq; , Quid autem uides festucam in oculo fratris tui? Clām autem notat nefarias ac secretas qualpiam res, quæ apud Ephesios peculiariter locum habebant.

Matt. 7.
 Reprehētio &
 condēnatio diffē-
 ferunt.

OMNIA autē quæ arguuntur, à lumine manifestantur.] Lumen uos esse dixit. Porrò lumē arguit & prodit quæ in tenebris fiunt. Si igitur uos uirtutibus conspicui sitis, non potuerunt latere scelesti. Ut enim lucerna lucente fur non ingreditur: sic lumine uirtutis uestræ fulgēte, illi capientur, à uobis præsertim sermonibus erudiantibus proditi & reiecti.

OMNE enim quod manifestatur, lumen est.] Quemadmodū uulnus si contegatur, nullam curam recipit, sic & peccatū. Cum autē manifestatū fuerit, efficitur lux, non peccatū ipsum, cæterum qui operatus est. Cum enim proditus & reiectus, resipuerit, ac remissionē consecutus fuerit, nōne eius tenebræ mundatæ sunt? Vel, uita uestra, inquit, manifesta cū sit, lumē est: nemo enim occultat irreprehensibilem fidem & operationem. Quæ uerò occultatū, propterea quòd digna sunt tenebris, occultantur: quæ arguere oportet & manifestare.

Dormiens &
 mortuus diffē-
 runt.

PROPTEREA dicit, Expergiscere qui dormis, & surge ex mortuis, & illucescet tibi Christus.] Dormientem & mortuum, peccatis hīc immersum dicit. æquē nanq; uirosi est odoris atq; mortuus, uacans perinde actione ut dormiens: somnia enim uidet, & imaginatur ea quæ non subsistunt. Cum igitur excitatus fuerit quispiam à peccato, tum illucescet ei Christus, hoc est, refulget sicut sol ijs qui è somno sunt excitati. Tantisper enim dum in peccatis est, odit lucē, nec uenit ad ipsam. Non de infidelibus autē hæc tantū dicit, uerū & de fidelibus. Inuenias autē discrimen inter dormientem & mortuū. Pleriq; enim qui malū patrant, quod patratum tamen nō laudant, dormientes dici possint, qui & celeriter excitantur: ad quos pertinet quod dicit, Expergiscere. Nonnulli autē & faciunt malū, & patrocinantur ei, qui mortuorū instar haberi queant, ut qui difficilius ad bonū reuocari queant. Attamen & hos uerbū in clamat, ut surgant: non enim desperandum est de mutabili natura, neq; statim condemnanda.

Matt. 10.

VIDETE itaq; quomodo cautē ambuletis, nō quasi insipientes, sed ueluti sapientes.] Amarulentia adhuc iramq; expurgat. perinde quasi dicat eis, Oues estis in luporū medio, multi erga uos feroci sunt & agresti animo, qui etiā familiarissimi uidentur: uidete autē ne cuipiā detis occasione inimitiæ, nisi fidei causa. Nemo uos in alio quopiam accuset, cæterum & honorē & omnē obedientiam præstate, si fides nō labefactetur, ac columbarū uos more geratis. Sapientia enim est atq; prudentia, seruare seipsos irreprehensibiles, neminem ulciscetes.

Simil.

REDIMENTES tēpus.] Non uarios nos esse docet, uerū quia tēpus non est uestrū, sed aduenæ estis & peregrini, & exteri, ne quærat is honores & gloriā, neq; ultionē, sed omnia ferite, atq; in hoc tēpus redimite: omnia etiā quæ uoluerint, permittite. Quēadmodū si quis opulentus uideat quosdam inuadere se ut ipsum tollant è medio, multa dabit, seq; ipsum redimet: hunc ad modum & uos omnia date, ut caput & summam conseruetis, nimirum fidem.

Dies mali.

QUONIAM dies mali sunt.] Nō dierū essentia atq; naturā reprehendit (essentia enim diei lux est ipsa uulgaris, & horæ. quæ igitur in hisce malitia est?) sed propter ea quæ in diebus fiūt, easdē uidetur inculcare: perinde ac solemus dicere, Malū diem transegi, propter ea quæ in ipsa contigerunt, uidelicet quæ ab hominibus prauis facta sunt, non à Deo. Propterea igitur dies prauī dicuntur, tanquam sceleratos homines in se dominantes habeant.

PROPTEREA nō sitis imprudentes, sed intelligentes quæ sit uolūtas Dei.] Quia dies prauos homines habeant, uos ceu prudētes date operā, ne ullā eis occasione detis. hæc enim est uoluntas Dei, ut uos in omnibus inculpato seruetis, cum ipsius unā fidei conseruatione.

1. Tim. 5.

Psal. 103.

Prouer. 31.

ET nolite inebriari uino.] Iram adhuc corrigit. nam & uini immoderata potio iracūdos facit ac temerarios. Quòd autem immoderatum istum usum damnet, planum est ex eo quòd nō dixit, Ne bibite: sed, Ne inebriamini. Temulentia autem est ex immoderato usu, mediq; excessu. Quandoquidē modicè & iuxta proportionē corporum haustu uinum, sanitatē efficit, perinde ac ipse etiā ait ad Timotheum, & lætitiā, ut Dauid ait: testatur etiā ipsa rursus scriptura, Date uinum mœrentibus, ac ebrietatem siue profusionē dolentibus. Crassum enim quod fuerit ac obnubilum, dissoluit: propterea & corpora nostra Deus moderata & proportionabilia fecit, ut paucis sint contenta, & ad alteram uitam festinent.

IN quo est luxus.] Hoc est immoderatus usus. Non enim seruat, sed perdit, nō corpus solū, sed & animam: hæc enim est asotia, id est luxuriam siue luxuria. Vel *ἀσωτία* iuxta uulgi consuetudinem pro libidine accipit. ex temulentia enim libido nascitur.

SED implemini spiritu, loquentes uobisipsi in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in corde uestro Domino.] Vis, inquit, lætari? Fuge uini repletionem: impleriq; cupias spiritu sancto. Hoc autem obueniet tibi, si psallere didiceris. psallentes enim spiritu implentur sancto, perinde ut qui satanicas cantilenas concinunt, spiritu immundo imbuuntur. Psallendum autem est in corde, hoc est, cum attentione, corde non huc illuc uersante sese & oberrante. Qui enim animo obseruat quid psallat, ille corde psallit. Expende autē hic, quòd

A quòd postquam animam purgauerit à uitijs, alijsq; affectibus prauis, misericordesq; nos fecerit, & condonantes fratribus, tum nos spiritu sancto impleri denunciat. Nò enim simpliciter ille ueniet, sed implebit corda nostra. Simulac ergo tantum in nobis lumē fuerit, facilis ac plana reliqua etiam uirtus erit.

GRATIAS agētes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & patri.] Semper, non solum gaudij tempore, uerum etiam in mœroribus: nec pro bonis tantum, uerum etiam pro tristibus: & pro ijs rebus quas nouimus, & quas nò nouimus: per omnes enim bene nobis fit, etiam si ignoremus. Sunt autem gratiæ agendæ Deo patri in nomine Domini nostri. hoc est, ut simul nominemus Dominum Iesum, & assumamus ipsum, ceu mediatorem cum bonorum, tum ipsius gratiarum actionis.

SUBIECTI alter alteri in timore Dei.] En rursus charitatis mentionem facit. ex hac enim est subiectio matua & obedientia, non propter mundanā quampiam aut humanam commoditatem, cæterum in timore Dei. Qui enim Dei nomine obediunt inter sese, nunquam offenduntur aut dissoluentur, tanto nexa copulati.

VXORES maritis proprijs subditæ sicut ueluti Domino.] Non simpliciter ac temerè multum seduloq; laborat Paulus pro coniugij firmitate, sed quia Deus etiā à principio huius eximiam curā gessit. Adamo enim sororem suam, imò potius filiam, & quid dico? carnem ipsius copulauit. Deinde multiplicato genere, latius matrimonium extendit, ut ne dilectionem ad solos cognatos contraheret. Porro uita nostra per coniugia continetur. Ait ergo: Vxores subiectæ estote maritis uestris. Si enim in concordia matrimonium floruerit, pueri pulchrè educantur, & famuli ordinatè sese habent, adeoq; cūcta tam uiciniorum quàm amicorum sunt in felici statu. Seruite autem eis tanquam Domino. Ecquid alibi scriptum est, Nisi quis reliquerit uxorem & uirum, non poterit me sequi: Nam si tanquam Domino seruiendum est, quomodo dicitur deficiendum à uiro & muliere propter Dominum? Quoniam aduerbium Veluti non est ubiq; eiusdē ualoris. Vel subditæ sitis ait, scientes quòd seruiatis Deo: hoc est, si non propter uirum in primis, propter Dominum tamen. Nam si exteriori adeoq; mundi potestati resistēs, Domini potestati resistit: quanto magis quæ marito suo reluctatur? Itaq; è contrario, quæ marito obedit, Domino obedit.

Matrimonij curam Deus in primis habuit.

Luc. 14.

QUONIAM uir caput est mulieris, sicut & Christus est caput ecclesiæ, & ipse est seruator corporis.] A ratiocinatione confirmat oportere subdi uxores, dilectionisq; argumentum & occasionē ponit ex hoc, quòd maritus rectoris & prospectoris locū obtineat, caput enim est & seruator: uxor uerò subiugatur atq; obediatur, corpus enim est. Què admodum & Christus ecclesiæ caput, eius curā gerit, eamq; seruat, sic & maritus seruator sui est corporis, hoc est, uxoris. Quomodo igitur non debet subdi capiti corpus, cum curā eius gerat, illudq; seruet?

Christus ecclesiæ caput.

SED sicut ecclesia subijcitur Christo, sic & uxores suis maritis in quouis.] Hinc discēs apertius quòd dixit suprā, Obtemperate proprijs maritis tanquam Domino. Postquam enim uxores debent subdi maritis, ut ecclesia Christo, ecclesia autem & mulieres sint, tanquā Christo: igitur subdi debet marito cōiunx. Quomodo autē omni tēpore iubet subdi? nunquid & quādo ad incredulitatē eam cōpulerit maritus? Atqui de infidelibus uiris sermo nunc non est Paulo, sed de fidelibus, ad quos scribebat uidelicet.

ET uiri diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiā, & seipsum tradidit pro ea.] Vides quomodo compulerit uxorē Paulus subdi tibi in mensura, qua & Christo ecclesia subditur? Audi iam rursus quomodo te cogat diligere eam, nec herili tantum in eam imperio ferri. Dilige enim ipsam. quali mensura? qua & Christus ecclesiam. Gere curam ipsius, quemadmodum & Christus ecclesiæ: ac si quid te oporteat pati, uel mori pro ipsa, ne recuses: iam enim copulatus ipsi hæc facies. Ille uerò in odio se prosequentem adulteram, id præstitit. & quemadmodum auersantem ipsum ad se adduxit, non minis neq; contumelijs: hunc ad modū si ipse auersantem te conspexeris coniugem tuam atq; delicijs indulgētem, multa dilectione & prouidentia attrahere ad te festina. Et si quicquam patiaris pro ipsa, ne obijcias, neq; conuicieris ei: neque enim Christus ecclesiæ obiecit quicquam.

Vxor diligenda uiro.

UT illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in uerbo.] Igitur impura erat, & immunda & deformis, at propterea non est execratus eam: sic neq; tu tuam ipsius coniugem execreris, etsi maximè deformis fuerit, ac uilis. Quòd autē deformis fuerit ecclesia, audi: eratis enim quondā tenebræ, quid quæso tenebris est nigrius? Seruiētes malitiæ & inuidiæ, quid immundius? Inobedientes, stolidi, imò & blasphemii, quid hisce est magis deforme? Interim tamē tanquā pro formosa, tanquā pro admiranda seipsum tradidit. Purgauit autē lauacro aquæ, hoc est, baptisate. In uerbo, quali? In nomine patris, & filij, & spiritus sancti.

UT exhiberet sibi ipse gloriosam ecclesiam.] Non simpliciter puram, sed gloriosam. Quemadmodum igitur Christus omnium author est bonorū ecclesiæ, sic & tu sis uxori tuæ: ac quemadmodum ille, quòd ad animam attinet, pulchritudinem ei acquisiuit, eamq; exornauit, pari ratione tu in hoc incumbe, non in corporis ornatum. Si enim animæ formam atque pulchritudinem inquiras à coniuge, statim eam ei efficias, componens ipsam, exhibensq; celebrem secundum spiritum cum tibi ipsi, tum Deo.

NON habentē maculam aut rugam, aut quid huiusmodi, sed ut esset sancta & immaculata.]

Per hæc

Maculæ. Per hæc animæ dicit affectus. Maculæ igitur sunt recentes affectus, quos & abluere faciliè, qui **C**
Rugæ. & uituperium adferebant. Rugæ autem, quæ tempore inueterata sunt, & consenuere, quæ & impuros faciebant, non faciliè eluibilis crimina. Sed per diuinum lauacrum omnia purgavit, & sanctos & immaculatos exhibuit.

SIC debent uiri diligere uxores suas ut corpora sua.] Non tanquam maius magisq; necessarium hoc exemplum iam ponit (iam antea enim planum est, Christi ad ecclesiam habitudinè maiorem esse hoc exempli demonstrationisq; sermone) uerùm tanquã uicinius & magis peculiare hoc adducit. Ne enim aliquis obijciat, Deus erat ille, & pro nobis sese tradidit: aliunde nobis necessitatem ob oculos statuit. Debent enim diligere, id est, res ipsa non est gratia, cæterùm debitum est & necessitas: nam corpus tuum est uxor. Christi itaq; exemplum non ob solã dilectionem, uerùm ut componeret in bonis moribus, assumpsit, ut sancta sit, inquit, & immaculata. Quod uerò de carne profert, ob solam dilectionem est.

QUI diligit uxorem suam, seipsum diligit. Nemo enim unquam suam ipsius carnem odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus ecclesiam.] Intensam & uehemètem curã quisq; pro sese carni suæ adhibet, itaq; & tu uxori. Rursus autem Christo pro exemplo utitur, innuēs quòd & Christus nos ceu propriam carnem suam dilexit.

QUIA membra sumus corporis eius.] Hoc est, plurimum nobis cū eo cognationis est.

DE carne ipsius, & ex ossibus eius.] A nostra enim materia **†** factus est, ut Heua ex Adam. Et quemadmodum illic est magna propinquitas, sic & nobiscum agitur & Christo. Sumus autem & aliter de carne eius, & ossibus eius. nam ut ille ex spiritu natus est citra commixtionem maris, sic & nos in lauacro. Tum quòd assumptis nos mysterijs diuinitus transformamur. Atque ut summam colligam, hoc ait: Summam cum ipso coniunctionem habemus, & maxima cum eo nobis familiaritas intercedit. Nam uisibiliter communicauit nobiscum carne & sanguine. Inuisibiliter autem author nobis spiritualis reformationis extitit, sicut & Adam Heua creationis causa fuit.

PROPTER hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, eruntq; duo in carnè unam.] Ecce & aliud firmamentum. Parentibus suis quispiam relictis, illi agglutinabitur & complicabitur. Nec dixit cohabitabit, sed agglutinabitur, unionem quæ diuelli nõ possit significans. In carnem unam intelligit simpliciter hoc modo magnus ille Iohãnes: Erunt caro una. Indicat autè & aliud quiddã: nã erunt duo, ut perficiant carnem unã, prole uidelicet.

† *μυστήριον*, mysterium, sacramentum.

† SACRAMENTUM hoc magnum est, dico autè ego, in Christo & ecclesia.] Hoc est, magnum quiddam & admirandum diuus Moses indicauit. Reuera enim mysteriũ est, ut eos qui **D**
 ipsum genuerint, qui ob ipsum multas ærumnas passi fuerint, quiq; in ipsum innumera beneficia contulerint, deserat quispiam, & agglutinetur ei quã nunquam antè cõspexerit, neq; quicquam boni antea sit orsa, uel in ipsum contulerit. Ingens enim reuera hoc mysterium est, interrim tamè ad Christũ, inquit, ego hoc refero, quippe quod prophético spiritu de eo dictum sit. Etenim & ipse dimisit patrè, nõ locali transitu, sed condescensu ad carnem, uenitq; ad puellã, ad sponsam, quæ ipsum nunquam agnouerat, factusq; est cū ipsa unus spiritus. Qui enim Domino agglutinatur, unus spiritus est. Qua igitur ratione matrimonium culpatur, ubi Paulus ipsum ad mysterij Christum concernentis exemplum producit, ipsum etiam mysterium uel sacramentum nominans?

i. Corint. 6.

VERUNTAMEN & uos singuli unusquisq; uxorem suam, sicut seipsum diligit.] Atqui inquit, etiam si allegoricè hæc acceperim, propter uxore tamen dicta sunt. Nec inuertit allegoria, mariti secundũ literam habitudinem erga uxorem. Debet enim unusquisq; uxorem suam diligere, ac fouere, haud secus quàm seipsum. Nec mihi dicas, Hunc & hunc defectũ habet uxor mea: nam & tu in carne tua defectus habes, ueluti manum mutilam, pedem claudum, oculum strabum: sed minimè abscindis hæc, sed maiore illa cura dignaris.

VXOR autè ut metuat uirũ.] Quia inordinationem & seditionem nonnunquã parit æqualitas honoris ac dignitatis, propterea tumorè inducit, ut unus sit principatus, uir ipse. Metum autè hinc intensam reuerentiã, & contractionem, adeoq; obedientiam intellige liberalè, & liberis hominibus haud indignam, non seruilem. Ex huiusmodi igitur metu dilectio emerget & comparabitur, ipsaq; contrã metũ & reuerentiã conciliabit. Diliget enim coniunx uirũ tanquã membrũ, metuet autè seu honorabit tanquã caput. Quid uerò si nõ metuat mulier? Tu tamè dilige, tuoq; officio fungere. Similiter & mulier, etiã si enim nõ diligatur, metuat tamen. Animaduerte quomodo multis uerbis demonstrauerit ac persecutus sit, quõ a marito sit diligenda coniunx. De metu autem perinde multa tradit, dilectionem enim primas obtinere operæ precii est. Etenim coniunx metu dilectionis metuere maritum debet, uti dictum est, nõ eo metu qui faciat tremere ac pauere, ex quo odium potius nascitur: sed ita, ut non responset, nõ insurgat, primatum non ambiat. Et si enim una sit caro, & principatũ habeat etiã ipsa, eamq; ob rationè æqualem dignitatem: uerùm secundus est dominatus mulier, maritus autè hac est superior.

Vxor ut se gerat in domo.

C A P V T VI.

FILII, obedite parentibus uestris in Domino.] Quemadmodũ qui corpus fingit, primũ quidem caput, deinde collum, postremò pedes format: sic & Paulus dixit de mariti principatu primo, deinde de uxoris dominatu altero, deinceps de tertio principatu, qui est liberorum,

A liberorum, uerba facit. mulieris enim solus maritus dominatur, liberorū autē & uxor. Obedite igitur, inquit, parentibus, sed in Dño: hoc est, quādo secundū Dominū fuerint, quę uobis mandarint. Nam si pater ad impietate te compellat, aut filiam prostituere uelit, aut turpem artem docere filium, non est secundum Dominum mandatum hoc: quare ne obediat.

HOC enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatū primū in promissione.] **A** natura hoc iustū est, tum & lege cautum est. Quomodo autem primum esse mandatum dixit, cum non sit? Illud enim potius primum est, Non occides, Non mœchaberis. **Exod. 20.** At enim uide quid adiecerit, In promissione. Prima enim illa non habent promissiones & mercedem adiunctam. sunt enim à malis discessus quidam, non bonorum operationes. Porro nemo dat mercedem ei qui sibi à malo abstinet. Hoc autem mandatum postquam boni operationem habet, primum etiam promissionem accepit. Admirandus autē hic ordo est. Cum enim à prauis operibus legislator homines abduxisset, perducturus eos ad bonorum operationē, primum erga parentes honorem constituit atq; sancit. quandoquidē enim illi primi nobis post Deum benefactores fuerunt, quippe quia uitę authores, nō immeritō primi sunt qui notiorum fructuum emolumenta capiant.

VT bene tibi sit, & sis longæuus super terrā.] Expende hic tecum, quā non longa dicat & multa, tanquam pueri non possint quēuis prolixum sermonem assequi. Alioqui marito & coniuge iuxta leges quas ipsis prius posuit, formatis, non est magni multiq; laboris pueros ipsis subijcere. Verū neq; de regno hic differit, neq; de rebus sublimibus: uerū quę potissimum anima infantilis audire desiderat, hęc ponit: ad infantes enim ei sermō est. Quid autē iucundius pueris, quā diu uiuere? quandoquidem & Iudæis, tanquam infantibus, hęc lege sunt sancta, cum non possent perfectiora audire.

ET patres, nolite ad iracundiam prouocare filios uestros.] Nō dixit, Diligite, hoc enim natura ab ipsis uel inuitis postulat: sed, Ne ad iram prouocetis: hoc est, non exheredes eos faciat, neq; abdicetis eos: neq; onerosos uos illis ac sæuos exhibeatis, ceu non sint liberi, sed mancipia, semperq; erga ipsos ægro sitis animo.

SED educate eos in disciplina & correptione Domini.] Ad principiū adeoq; causam obedientię ascendit, monstratq; parentibus quānam ratione obedientes filios faciant. Si enim, inquit, uis obedire tuos filios, institue eos diuinis sermonibus: neq; dicas, religiosorum tantummodo esse legere scripturas: cuiuslibet enim Christiani est, maximē eorum qui in mundo uersantur, quanto maiore ipsi auxilio indigent, ceu in tempestate agentes. Proinde pro te est quod audiāt liberi scripturā: discant enim illinc, Honora patrē & matrē. Itāne gētilibus sermonibus educas filium tuum, ex quibus pessima quęq; docetur, diuinis autem sermonib. nō itē?

SERVI obedite dominis carnalibus.] Quia & seruorū uirtus ad domus constitutionē pertinet, eamq; perficit, ne hanc quidē partem negligit: sed ad hęc postremō uenit, quandoquidē & dignitate postrema sit. Non porro autē hisce tanquā paruulis & infantibus differit, sed tāquā adultis & consummatę ætatis, perinde ac in procurso demonstrabimus. Dominos carnales siue secundū carnem, dominos tēporarios uocat. Statim enim eos consolatur, temporariā adeoq; caducam istam seruitutem esse ostendens, ut quę cum carne simul dissoluatur.

CVM timore ac tremore, in simplicitate cordis uestri, sicut Christo.] De muliere uerba faciens, simpliciter dixit ut maritum metuat: hęc uerō cum exaggeratione. Tremor nanq; est timoris intensio. Vxor enim marito par est, eiusdemq; cum eo honoris & libera est: serui autem non sunt eiusdem honoris. Quāuis enim fratres secundum Christum sunt, postquā tamen liberos alterū alteri obedire præcipit, adeoq; uxore marito, magis seruos dominis parēre uult. Neq; enim hęc res obscuritas est, sed prima potius nobilitas, nouisse se moderatē gerere, atq; cedere proximo. Quia uerō non parū multi dominos suos metuunt, non ex beneuolentia tamen, sed quando latere queant, insidias eis struunt, & fraudulentē cum eis agunt: ideo, In simplicitate cordis, apponit, fraudulentiam tollens.

NON ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes.] Hoc est, non tantū præsentibus dominis, & uidentibus, sed absentibus quoq; eodem modo seruite.

SED ut serui Christi.] Qui itaq; hominibus placet, non est seruus Christi, ut & in alio loco dicit: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. **Galat. 1.**

FACIENTES uoluntatem Dei ex animo cum bona uoluntate.] Quia potest aliquis in simplicitate cordis & citra dolum seruire, nec tamen omnibus uiribus, sed certum tantummodo & definitū opus persequi & perficere: hanc ob rē apponit iam. Ex animo, hoc est, totis uiribus & animi promptitudine, imō cum beneuolentia etiā, hoc est, ultrō & spontē, non ui. Hoc modo seruitutis ignobilitas tollitur, si uoluntarij bonum faciant serui, non expectantes necessitatem & flagra. Voluntatē autem Dei uel obedientiam uocat. uult enim bonam rerum constitutionem & ordinem Deus. Vel in illis obedite dominis uestris, in quibus Deus uos morem uult gerere. fortasse enim, ut & in liberis dictum est, ad turpia quædam compellāt domini, uel ad impietatem, quę non sunt diuinę uoluntatis.

SERVIENTES Domino, & non hominibus.] Ipse enim recipit, ac in sese transfert quam dominis exhibent gratitudinem, quippe qui bonam in rebus & statibus ordinationem sanxerit lege. Et qui hisce non inseruit ut par est, diuinę legi resistit.

Theophylact.

Y

SCIENTES

Exod. 20.

Parentibus secundum Deum plus debemus.

Christiani cuiuslibet interest, scripturas legere.

Galat. 1.

Fides seruorum.

SCIENTES quòd unusquisq; quòdcunq; fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber.] Quia uerisimile erat, multos dominos gentiles & infideles nihil boni impartituros eis qui fideliter inseruirent seruis, Etiam si nihil, inquit, à domino secundū carnē accipias, neq; ullā compensationē feras, ab uniuerforū tamen Domino expecta. Hic autem ostendit quòd uelut perfectioribus eis loquatur, & non ueluti pueris. Illis enim diu in terris uitā duraturam proponebat, hos autem ad futuram uitam remisit.

ET uos domini eadem facite illis.] Eadem? qualia? ut cum beneuolentia seruiatis, & non tanquā hominibus placentes, sed cum timore ac tremore, erga Deum uidelicet. Et si enim uerbis hoc non dixerit, attamen ista uult. Seruit & dominus seruo, curā eius anxie gerēs, omniaq; ei necessaria præbens, ac simpliciter eum sustinens, eiq; condonans, & quod ait Solomon, cū eo simul sese circumagens, ac laborans. Audi enim quæ sequuntur.

REMITTENTES minas.] Non dixit, remittentes flagrū, sed etiā ipsas minas. Multo magis itaq; supplicium: hoc est, neq; in ipsis minis graues & onerosi conspiciamini.

SCIENTES quòd & uestri ipsorum Dominus est in cælis.] Animaduerte quomodo perterrefaciat. Qua mensura, inquit, metieris, remensurabitur tibi. Ne audias & tu, Serue nequā, omne debitum remisit tibi, nonne oportebat & te misereri conserui tui?

ET personarum acceptio non est apud eum.] Ne existimes, si immitis sis seruo tuo, Dominum istuc abs te non inquisiturū, ob personæ uilitatem & contemptibilitatē. Hæc enim exteriorum legum sunt, quæ nouisse solent discrimen inter ingenuitatē & seruitutē. hominū enim leges sunt. Hic autē sic non fit, uerū tu ipse etiam seruus es eiusdē domini, & in conseruū austerus es? Nam à principio Deus seruilem conditionem istam non creauit, sed auaritia, ut in captiuis: & iniuria, qua patres & maiores affecerunt, ut in Canaan cōtigit. Etiam si autem à Deo non sit condita, subiectionem tamen Deus statuit & confirmat, ob felicem politian, ne uita humana sanguine madeat & repleatur.

QUOD superest, fratres mei, cōfortamini in Domino, & in potentia roboris eius.] Cuiuslibet domus est exercitus. omnibus itaq; potestatibus ordinatis, sic in bellū eas educit. Nā quū proprium ordinē aut stationem nemo transgrediatur, tunc res bellica bene habebit. Quia uerò pleraq; imperauerat quæ uisa sunt difficilia transactu, Ne metuite, inquit, sed in Domini potentia confidite. Non enim simpliciter ei robur est, sed potentia roboris: hoc est, inexplicabilē habet fortitudinem, quæ in omnes dominetur, & omneis uincat.

INDVITE + armaturā Dei, ut possitis uos stare aduersus insidias diaboli.] Quæ sit armatura, paulo post docebit. Animaduerte quomodo non dixerit, pugnas aut bella, sed insidias. insidie enim sunt decipere, ac per fraudē capere. Nō enim manifesta proponit hostis peccata, ut idololatriā apertē non cōmendat, sed alia quadam ratione confirmat, insidias struens, hoc est, persuasibilia & uerisimilia uerba faciens, uelamentisq; utens. Proinde cū ostendit aduersariū esse potentem, horrendum, & uarium, excitat eos, ac uigilantes & attentos facit.

QUONIAM nō est nobis colluctatio aduersus sanguinē & carnē.] Et hoc non ut perterrefaciat, uerū ut attentiores reddat, dicit. hostis enim uires & potentiā denarrās, tutiores suos facit & magis cautos. Nō aduersum uulgares, inquit, hostes nobis lucta est, neq; aduersum homines iisdem nobiscum affectibus imbutos, eiusdemq; nobiscum potentiæ.

SED aduersum principatus, aduersum potestates.] Perinde ac Deus principatus habet ac potestates, hunc ad modum arrogans tyrannus huiusmodi ordines fecit.

ADVERSUS mundi rectores.] Non quòd in mundū seu creationem dominantur, eiusue domini sint, sed scriptura mundū nouit ipsa praua opera & qui ea perpetrāt, quemadmodum & illud: Vos non estis ex mundo, hoc est, ex ijs qui praua operantur, ac tentant. In hos igitur imperium exercent dæmones, ut in redactos in seruitutem sui.

TENEBRARVM seculi huius.] Tenebras, nequitiam dicit quæ in hoc seculo uidetur, & consistit, ulterius autem non pergit.

ADVERSUS spiritualia nequitie.] Hos ipsos dæmones, inquit. Cū autē & angeli sint spiritus, apposuit nequitie: siquidē illi eūm bonitatis tum luminis sunt spiritus. Quia uerò nos non bellum gerere affirmauit aduersus sanguinē & carnē, è contrario adijcit, sed aduersus leues, facillimē mobiles, qui difficillimē capiuntur dæmones pugnamus.

IN cælestibus.] Per hoc rursus excitauit auditorē. De magnis, inquit, periculū est: nō enim de terrestribus & corruptibilibus, sed cælestibus res agitur. Præpositio enim (in) est pro super uel propter: ut sit sententia, propter cælestia belligeramur, quare uigilare oportet.

PROPTEREA accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.] Hoc est in præfenti tempore: hoc enim diem malum appellat, à malis nimirum quæ in ipso fiunt. Consolatur autem per hoc, quòd ostendat breuē admodum esse belli tempus: quum enim diem dixit, breuitatem indicauit.

ET omnibus confectis stare.] Omnibus nimirum affectibus & prauis cupiditatibus confectis, id est, debellatis, ablatis. Et postquā pleriq; parta uictoria ceciderunt, stare addidit. Opus est enim post uictoriā etiam cōsistentia, ne uictus rursus ad oppugnandū infurgat. si enim ad torporē lapsi fuerimus, reuiuiscet occisus hostis. Obserua autē: cum fieri possit ut uincamus atq; consistamus, non debemus in posterum esse desides, prætexentes fortiores esse hostes, quā

seruile conditio
à Deo nō est in-
stituta.

Addendum uide-
tur ex Chryf. et
alijs, qd nō in ip-
sō est, quod ser-
uere.

† ἀρματωρ
id est, uniuersa
arma, siue totā
armaturam.

Mundus, praua
opera.

Ioan. 15.

Dies malus.

A quàm quibus resistere queamus. Etenim confortati ac docti sumus talem artē, ut & aduersus dæmones luctari queamus: imò non solum luctari, uerumetiam tanto terrori esse dæmonibus, propter eius qui in nobis habitat uirtutē, ut ne lucta quidem indigeamus, sed supra serpentes & scorpiones gradiamur, eosq; conculcemus. Hæc autē dicit Paulus, quòd multi essent opponentes sese illis, docens quòd dæmones nobiscū illorum interuentu dimicent. Itaq; ne hominibus irascimini, sed dæmonibus austeritatem uestram exhibete.

STATE ergo circuncincti lumbos uestros in ueritate. In rebus bellicis primum est nouisse bene stare, adeoq; stationem suā tueri. Propterea diuus Paulus stationis primum meminit, & ad eam adhortatur, stationē exigens probè ordinatā militibusq; conuenientem. Qui enim reuera stat, erectus stat, non inclinans uel innitens cuiquam, tanquā is qui non stat neq; rectus est, ut lasciuus & mollis amans pecuniarum, & qui in delicijs uersatur, non stat rectus, sed inflexus est. Porro stationis mentione facta, cingit deinde militem spiritualiter omnino, ac circuncingit diffluentem & solutum in cōcupiscentijs, per cingulum ita eos cohibens. Lumbos autem hīc dicit animę fortem omniaq; ferentem uirtutem. Quod autem carina est in nauibus, hoc & in animali lumbus, ueluti nimirum fundamentum quoddam: unde & sæpenumero defessi, manibus super lumbis impositis, nos ipsos baiulamus. Hunc ad modum spiritualis lumbus habet, quem ut circuncingat in ueritate præcipit, quæ cum in dogmatibus, tum uita renideat. Nemo enim hæreticorum cingitur in ueritate, sed infrā circa terram trahitur ac repunt. nihil enim altum intelligere possunt, sed humanis cogitationibus & humi repentibus diuina explorant. Præterea in uitæ suæ moribus natantes, mundi q; imposturæ adhibentes animum, non cinguntur in ueritate, sed infrā demissi mendacijs inhiant. At uerò nos hoc pacto non oportet agere, cæterum omnia transigere in ueritate: atq; si doctrina fuerit uel institutio, in ea uerum inquire: ac si uita, pariter. Insuper omnis fuci doli q; oportet nos expertes esse, neque alterum ab altero mendacijs circumscribi decet. Quòd si hęc ad rationem succincti fuerimus, ad cursum erimus faciles. Per cincturam deniq; istam nos uult excubias agere, perinde ac Dauid inquit: Sicut zona qua semper circuncingatur. Semper enim aduersum nos bellū geritur. Gregorius autem theologus per lumbum concupiscentiam intelligit (in lumbis enim renes sunt, qui in scriptura concupiscentiæ symbolum sunt) per ueritatem autem, contemplationē. Adserit ergo quòd Paulus omnem concupiscentiam nostram contemplatione & consideratione Dei circuncingere hortetur. qui enim Deum contemplatur, eoq; oblectatur, huic ceu reuera amabili, non permisit Deus cupiditatem eius ad inferas res demitti, adeoq; circum

Luc. 10.

Lumbi qui intel-
ligantur.Cinctura quid
sit.
Psal. 108.

B terrestria trahi. **E**T induti lorica m iustitiæ. Iustitiam hīc, uniuersaliter uitam uirtutibus comptam dicit, perinde quasi dicat, muniti iustis operibus. Vt enim lorica siue thorax hominem conseruat ne saucietur, sic & iustitia conseruat eum, qui ea munitur.

ET calcatei pedes in præparationem euangelij pacis. Pulchra nobis calceamenta & ocreas subdit. Vel igitur hoc dicit, quòd oporteat nos præparatos esse ad euangelium prædicandum promulgandumq;. Speciosi enim pedes, inquit, euangelizantium pacem. Vel quia oporteat nos promptos esse tanquam ad exitum, ut adeò rectè & honestè secundum euangelium uiuamus: pedes enim sunt uitæ symbolum. Propterea quodammodo dicit, Exactè & circumspectè obambulate, cui & Dominus consentit. Præparatio autem & euangelium, sunt opera bona, uti dictum est: Præparationem cordis ipsorum audiuit auris tua. Præclare autem dixit pacem. Quandoquidem enim belli pugnaq; meminit, ostendit quòd aduersus dæmones pugnandum sit, non aduersus homines. pacis enim est euangelium. Nam si contra dæmones pugnemus, pacem habemus apud Deum, aduersus quem non oportet nos denuò conflictari dissoluendo pacem. Porro † euangelium est, uictoria iam parata est: ne igitur metuamus.

Esa. 52.

Suprà 5.

Psal. 9.

IN omnibus assumentes scutum fidei. In omnibus, nempe in ueritate, iustitia, & præparatione euangelij, hæc enim omnia hac indigent. Non autem hīc ueræ religionis agnitionem dicit, sed indubitam fidem, quæ de futuris credere perinde faciat, tanquam sint præsentia: quæ & miracula perficiat, quæ sit adeò ignita & calida, ut & montes transferat. Quemadmodum igitur scutum seu clypeus omni corpori obiectus est ceu ianua quædā custodiens & concludens ipsum: hanc ad rationem firma & indubitata fides animæ est custodia. Fides est scutum, non sophismata. Scutum fidei contegit, illa uerò impediunt.

† διαγγιλιόβρεσι,
euangelij siue
bonum nunci-
um est.† τῶν πάντων, id
est, in omnib.
uel super omnia.

Fides pro scuto.

IN quo possitis omnia tela mali illius ignita extinguere. Hoc est, absurdas cupiditates, infidelitatis cogitationes, quales sunt, num resurrectio est? num iudicium? ac tentationes. Ignita uerò appellat, non solum quòd cupiditates ignescant & conflagrent, ad turpia opera incendentes, uerumetiam quòd in conscientia inde iam ardeamus. Insuper per infidelitatis ratiocinationes adeoq; cogitationes urit nos diabolus, perq; tentationes. Fides igitur hæc extinguit: si enim dæmones sibi subijcit, quanto potius adfectus? Si enim concupiscentia te inflamat, futuris bonis credens, obuenturæq; lætitiæ, eam extinguēs. siue tentationes te inuadant, fidem adhibens futuris bonis, consolationem recipies. Reputa tecum quomodo ueretur Abraham quando gnatum offerret, sed fides flammam istam extinguebat.

Gen. 22.

Abrahæ fides.

ET galeā salutis assume. Hoc est q̄ nos seruet & custodiat. Si cui fidē habeam, ptinus seruantes etiā cogitationes accipiem, q̄ caput nostrū ceu p̄cipuā & principē nostri partē cōseruet.

Theophylact.

Y z

ET gla.

ET gladium spiritus, quod est uerbum Dei.] Per ea quæ suprâ dicta sunt, armavit nos Paulus ne lædamur ab hostibus: nunc uerò arma subministrat, quibus ipsi potius nos hostem ledere possimus. Sine igitur spiritum ipsum dicit gladium spiritus periphraſticè, uel ſpiritualè uitam, per quam caput draconis abſcinditur: ſpiritualis hic enſis uerbum Dei eſt, hoc eſt, mandatum. Si enim mandata eius fecerimus, occidemus ſerpentem iſtum tortuoſum, ut Eſaias inquit. Vel uerbum Dei eſt: ut, In nomine Ieſu Chriſti ſurge & ambula, huiusquæ ſimilia. Vel ſimpliciter gladium ſpiritus, ſpiritus ſem ſapientiam uocat. Viuus eſt enim ſermo Dei & efficaciſ, & penetrabilior quouis gladio. Qui huius ſpiritualis enſis donū habet, & quæ Dei ſunt loquitur, liber eſt, & nulli rei obnoxius, qualis ipſe hic Paulus.

PER omnem orationem & deprecationem orantes omni tempore in ſpiritu.] Poſtquam armis eos militaribus induit, ad imperatorem eos deinceps ducit, ut precentur eum quo manum porrigat. Cū enim dixiſſet, Poteritis extinguere: ne inſlentur, inquit, Opus eſt nobis Dei auxilio. Et omnia perficite cum prædiētis etiam orantes non ſimpliciter, ſed per omnem orationem & deprecationem, cum ſletu, & pectoris contuſione, cum inflexione genuum, idq; genus ſimilibus: nec ſtatis tantummodo horis, uerū & omni tempore, idque in ſpiritu, hoc eſt, ſpiritualia petentes, & nihil mundani. Dicens porrò orantes per omnem orationem, indicauit poſſe quempiam orationem facere, nec tamen orare, ut ſi battologus fuerit.

ET in hoc ipſum uigilantes.] Vel nocturnas hīc uigilias dicit, uel animæ excubias. Atqui utruq; hic accipere licet. uigilantem enim eſſe oportet armatum, quem apud regem adeoq; imperatorem ſtare oporteat.

IN omni perfeuerantia & obſecratione.] Quemadmodum Chanaña & uidua, & Anna. Ea enim uerè eſt precatio, quæ fit cum perfeuerantia.

PRO omnibus ſanctis, & pro me.] Non pro nobiſiſtis tantum nobis eſt orandum. Obſerua hīc moderatam Pauli mentem. etenim ſe ultimo loco ponit, diſcipulorumq; oratione opus habet, idq; quum catena uinctus pro Chriſto teneretur. Quandoquidem & Petrus catena uinctus erat, uerū pro ipſo uehemens & intenta oratio ab eccleſia fiebat.

UT mihi detur ſermo in apertione oris mei.] Non igitur meditabatur quæ diceret, uerū ſicuti Chriſtus ait, Ne ſolliciti ſitis quid loquamini, dabitur enim uobis in illa hora quid loque mini: hunc ad modum Paulus aperiens os, quæ à Deo ſuppeditabatur proferebat, ſicq; omnia diuina gratia perficiebat. Hīc autem intelliges gladium ſpiritus, quod eſt uerbum Dei.

UT cum fiducia notum faciam myſterium euangelij pro quo legatione fungor, in catena, ut in ipſo audeam ſicut oportet me loqui.] Hoc eſt, ut rationem fidei meæ reddam, meq; defendam, perinde ac conuenit, cum fiducia, adeoq; loquendi libertate, & fortitudine, multaq; prudentia. Ad quos autem legatione fungeris? ad homines, ut ipſos reconciliem Deo. At iſti interim me in uincula coniecerunt: cum tamen ius ſit & legitimū, quòd legati nihil patiantur mali. Catena igitur mihi circumpoſita eſt, ut meam mihi fiduciam & libertatem cohibeat. Veſtra autem oratio aperiet mihi meum os, ut liberrimè loquar atq; proloquar quæcunq; mihi iſ qui me legatum emandauit, mihi commiſit. Viden' gladium, libertatem & alacritatem enūciandi uerbi Dei, quod accepturus erat Paulus in apertione oris?

UT autem ſciatis & uos quomodo res meæ habeant, quid uè agam, omnia uobis patefaciet Tychicus dilectus frater, & fidelis miniſter in Domino.] Quæ ad inſtitutionem & conſolationem pertinere uidebantur, ipſe per epiſtolam indicauit. Quia uerò & uinculorum meminit, non immoratur in ſermonibus circa eam rem, ſed permittit aliquid & Tychico diſſerendum à ſeipſo: ne ipſa uiri præſentia ſit inutilis. Si igitur dilectus eſt, omnia nouit: ſi fidelis, non mentietur. Miniſter autem in Domino, hoc eſt, propter Deum miniſtrans, adeoq; in diuinis rebus, non propter aliquam rem mundanam, uel ob quampiam rem terreſtrem; uel frater in Domino, quod eſt ſpiritualis frater.

QUEM miſi ad uos in hoc ipſum, ut cognoscatis quæ circa nos ſunt & conſoletur corda ueſtra.] Diuus Ioannes ſic legit: Ut cognoscatis quæ circa nos ſunt, hoc eſt ut uobis de me annunciet, nec ſinat uos mei cauſa occumbere, nimumue contriſtari, quippe qui iam grauiam admodum patiar, catenamq; feram. Hoc autem dilectionem indicat cū eius erga ipſos, tum illorum erga ipſum.

PAX fratribus, & charitas cum fide à Deo patre, & Domino Ieſu Chriſto.] Pacem eis exoptat, atque cum fide dilectionem. Id autem tale eſt, uel ut ne alterius opinionis homines diligant, ſed ut ſolos fideles: uel quia oportet & fidem habere eos, ut de futuris confidant. Sine fide nanq; nihil prodeſt charitas, imò ne dilectio quidem fuerit ſine fide. Animaduerte autem quomodo pacem dixerit. Docens autem quomodo hæc ipſa fiat, intulit, Per charitatem. At unde charitas? ſi fidem habeamus.

GRATIA cum omnibus qui diligunt Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum in incorruptione. Amen.] Pacem hīc à gratia diduxit, utranq; ſeorſim ponens, etiam ſi ubiq; aliàs connectat. Illud uerò, In incorruptione ſiue puritate, dicit, uel diligentium Chriſtum, non in diuitijs aut gloria, ſed in incorruptibilibus, hoc eſt, propter incorruptibilia: uel quia diligens Chriſtum, propter uirtutem ipſum diligit. Peccatum enim eſt corruptio, uirtus autem incorruptibilitas. Sicut enim uirginem corrumpi dicimus, hac ratione animam corrumpi affirmamus. Propterea &

Legati nihil mali patiantur.

Area & Paulus, Ne quo modo, inquit, corrumpantur sensus uestri: & Corrupti mente. Con- 2. Cor. 11.
tingat igitur & nos dilectionem erga Christum ostendere, cum per uitæ ornatum & puri- 2. Tim. 3.
tatem, tum per hoc quod incorruptibilia illa bona inquiramus, ac simpliciter per omnem uir-
tute conspicuam uitam; quæ incorruptam seruat animam; non corruptam studijs & iniqui-
tatis, in ipso Christo incorruptibili sponso uirginum & incorruptarum animarum, cui glo-
ria in secula, Amen.

Scripta est à Romæ ad Ephesios per Tychicum.

AD PHILIPPENSES EPISTOLAE PAULI
per Theophylactum Bulgariæ archiepiscopum Enarratio.

ARGUMENTVM.

Philippenses sunt à Macedonia urbe Philippis, cui id nomenclatura à conditore Phi-
lippo inditum, appellati, metropoli Thessalonica tum tributarij. Haud parum autem
boni diuus Paulus de ea predicat ac testatur. Porro cum in uinculis ageret, hanc epistolam
scripsit. post primam enim defensionem suam, cuius meminit in epistola ad Timotheum, 2. Tim. 4.
rursus est uinctus. Miserunt autem Philippenses ei per Epaphroditum quibus opus habe-
bat, cognoscere pariter cupientes quæ cum eo agerentur. Postquam autem uerisimile erat
eos turbari cum audirent magistrum suum esse uinctum, scribit hoc eis Paulus, docēs quod
uinculis suis non debeant turbari, quin potius exhilarari quod pro Christo ea patiatur.
Consilium autem eis dat, ut sint unanimes ac modesti, & humili affectu præditi. Carpit
insuper Iudeos, qui Christianismi prætextu Christianam doctrinam ac religionem uasta-
bant, canes eos prauosq; operatores appellans. Multa de moribus ipsis differit. Facit eti-
am prudenter mentionem missorum sibi necessariorum. Videtur autem honorificè cum il-
lis miscere colloquia. multum nanque uirtutis atque conatus & opere in fidem contulerūt.
Hic erat purpura uenditrix, hic synagoga princeps credidit, hic præterea Paulus flagris
caesus cum Sila in carcerem coniectus fuit: hic & carceris custos uno signo permotus, acces-
sit Christo cum uniuersa domo: hic duces militum timuerunt Paulum, rogaruntq; ut exi-
ret: ac omnino prædicatio eius præclarum ac splendidum in hac urbe exordiū habuit. At-
que hæc ex Apostolorū actis discimus. Attribuit autem ipsis Paulus non modo fidem re-
ctam, adeoq; pericula quæ propter euangelium sustineant, eis testificatur adesse, uerum
etiam uoluntatem, quæ libenter impertiat egentibus, quorum omnium causa uehemen-
ter eos cum amare tum honorare uidetur. Act. 16.

Canes Iudeos
Paulus uocat.

CAPVT I.



PAULVS & Timotheus, serui Iesu Christi.] Hic non ponit dignitatem autori-
tatemue suam apostolus, uerum se seruum Iesu Christi scribit. Magnum quidē
etiam hoc est, sed communius. Timotheo autem scribens & Corinthijs, apo-
stolum sese uocat. Quam ob causam? Quia illic multa ordinaturus erat, propte-
rea Apostoli auctoritatem adsumpsit. Hic autem nihil tale iniungit, sed uelut
pares æquali honore eos prosequitur.

1. Tim. 1.
2. Tim. 1.
1. Cor. 1.
2. Cor. 1.
Exod. 19.
Deut. 7.

OMNIBVS sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis.] Quia Iudæi seipsos sanctos etiā ap-
pellabāt, quippe quia populus sanctus erant, eam ob rem adiecit, in Christo Iesu. Qui enim in
Christo Iesu sunt, ij uerè sunt sancti, illi autem prophani.

COEPISCOPIS & diaconis.] Coepiscopos, presbyteros appellauit, non enim in una ur-
be multi episcopi fuerunt. Nondum enim erant distincta nomina, uerum etiā episcopi, diaco-
ni & presbyteri uocabantur. Timotheo enim episcopo scribens, Diaconiā, inquit, hoc est mi-
nisterium tuum, imple. & rursus, Quod datum est tibi cum impositione manuum presbyterij,
hoc est, episcoporum. non enim presbyteri episcopum constituebant. rursus presbyteri, e-
piscopi etiam dicebantur, ut qui & ipsi populum inspectarent, eiusq; gererent curam, ut pur-
garent illustrarentq; eos quos esset necesse. Cuius aut rei gratia nūc clero scribit, quod nusquā
alio in loco fecit? Quia ipsi Epaphroditū ablegauerant, qui quæ apostolo essent ului, adferret.

Infrā 4.

GRATIA uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.] Cōsuetam salutatio-
nem apponit, imprecans eis ut gratia Dei donentur, ne alter in alterum elati excidant à pace
& concordia. Charismata enim, non attendentibus factam & elationem aduehunt.

GRATIAS ago Deo meo in omni memoria uestri semper, in omni oratione mea pro omni-
bus uobis.] Quoties, inquit, uestri recordor (semper autem hoc facio) glorifico Deū, quod
adeo in uirtute creueritis: neque tamen quum sic probati sitis in diuinis rebus, desino preca-
ri: sed pro omnibus rogo, ut porrò feliciter pergatis.

Theophylact.

Y 3 CVM